TYDEMAN

SPECIMEN LITERARIUM,

CONTINENS

IN Q. TULLII CICERONIS DE PETITIONE CONSULATUS LIBRUM ADNOTATIONEM.

SPECIMEN LITERARIUM,

CONTINENS

IN Q. TULLII CICERONIS DE PETITIONE CONSULATUS LIBRUM ADNOTATIONEM.

SPECIMEN LITERARIUM,

CONTINENS

IN Q. TULLII CICERONIS DE PETITIONE CONSULATUS LIBRUM ADNOTATIONEM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

IANUS GUILIELMUS TYDEMAN,

LUGDUNO-BATAVUS.

AD DIEM XXIV SEPTEMBRIS MDCCCXXXVIII, HORA XII-I.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. ET I. LUCHTMANS.
CIϽIϽCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHEO I. G. LA LAU.

L. S.

In Q. CICERONIS de petitione *librum adnotationem conscribere institueram, cuius hîc partem edo historicam et antiquariam; criticam per aliquod tempus dilaturus. Nam quum rerum mearum rationes postularent, ut eodem tempore Iurisprudentiae et Humaniorum Literarum studiis Academicis finem imponerem, maiori otio et temporis spatio opus esse videbam, ut iis praesidiis rite uterer, quibus haud ita pridem ad ipsius libelli recensionem instructus sum. In his principe loco memoranda est Varietas Lectionis Lagomarsiniana, quam Cl.* WAPPI, *in Acad. Mil. Bred. Prof., in me meritis debeo. Hic enim Amplissimi, summeque Reverendi viri,* ROOTHAANI, *nostratis, Soc.* IES. *Romae Generalissimi, gratiam meis studiis conciliavit.*

Quorum virorum insigni beneficio Collationis Lagomarsinianae ea pars, quae huc pertinet, nitidissima manu descripta, sine ullis sumptibus, ante hos duos menses, ad me pervenit. – Accessit insuper Liber MStus Leidensis, in quo MARCI *orationibus interpositum hoc* QUINTI *opusculum reperitur. – At de his copiis in altera adnotationis parte aptior erit dicendi locus.*

Restat, ut viris Clarissimis, quorum tam docta et eleganti institutione, quam ope et benevolentia, quamcunque laudem longe superantibus, in his meis studiis frui contigit, gratias agam, atque ipsis, quotquot in vivis sunt, me meaque commendem.

CONSPECTUS

PARTIS PRIORIS.

FINIS PARTIS PRIORIS.

»Nobis vero QUINTUS videtur minus copiosus et plenus MARCO, minus splendidus, minus etiam tersus et limatus, ita bonus tamen scriptor, ut ei a fratre iusta dictionis laus impertita reperiatur.''

B. WEISKE,
claror. viror. epist. p. 146.

INTRODUCTIO.

DE EPISTOLAE ARGUMENTO, DISTRIBUTIONE, INSCRIPTIONE.

Ab ipsius opusculi argumento exordior; qua in re ERNESTI aut SCHÜTZII exemplum ideo non sum secutus, ne iam nunc inciderem in minores eas distinctiones, quas dein ordine magis referre cupiebam.

M. CICERO petebat Consulatum, summum Romae magistratum, quo pauci tantum, qui Praeturam gesserant, adscenderunt. Insignis igitur adhibenda erat ab unoquoque, sed praesertim ab ipso, homine novo, diligentia, ingens studium, ut id quod sibi propositum habebat, assequeretur. Ejus frater QUINTUS, qui et amore fraterno ductus, et gentis decus promovendi cupidine incitatus, summopere hunc fratri honorem concupiscebat, deque eius conamine, peranxius, dies ac noctes cogitabat, tandem suas commentationes scripto mandavit et fratri misit; non quod MARCUM haec ipsa non animadvertisse rebatur, sed de commodo persuasus, quod in re tam infinita daret accurata diversorum tam subsidiorum quam impedimentorum descriptio; quae singula suo ordine et loco commemoraret.

Nec mirum, prae ceteris ei nominis novitatem fraterni curae fuisse, idque praecipuum duxisse honoris impedimentum. Consideratis tamen iis quae et fratris et huius temporum propria erant, multa esse videbat quae ipsi hanc novitatem sublevarent. Quamquam enim in Consulum annalibus CICERONUM nomen erat ignotum, at in quotidiano omnium sermone erat celebratum: non exigui enim momenti causas frater iam egerat; summos in civitate viros defenderat; et multae amicitiarum rationes, tam ex hoc fonte quam ex equestri conditione ortae eius petitioni suffragabantur, quae diligenter erant colendae; praesertim vero nobilium in ipsum voluntas confirmanda et excitanda erat. Felici quodam successu evenisse MARCO dicit, ut qui cum eo peterent nobiles, partim minus apti ad popularem gratiam comparandam, partim vitiis ac turpitudine et infamia referti, CICERONIS, quamvis novi hominis, virtutem, ingenium, omnium salutem promovendi studium, non tantum non obscurarent, sed melius omnium oculis proponerent.

Ab altera parte ipsa eius gloria et laudes multos excitaturae erant invidos, qui omni ratione hanc ei adversandi, ejusque consilia impediendi occasionem arriperent. Summa igitur hic opus erat diligentia, ut et amicorum studia et populi voluntatem sibi conciliaret. – Amicorum autem nomen hac in re latissime est extendendum; et quicunque beneficio, spe, animi adiunctione nostrum cupidi sint, ii omnes sunt ad benevolentiam et officia sua probanda excitandi; quorum autem huc usque minorem habuerat rationem, eos quoque hoc tempore allicere, et ad suas partes adtrahere et honestum et maximi erat ponderis. At non sufficit, multos habere amicos; imprimis opus est, ut eos hominibus ostendas, et iis semper cin-

ctus sis; cavendum vero ab insidiatoribus et perfidis. - Ad popularem rationem pertinet, ut omnes, ipsam adeo plebem noscere videaris, omnibus benevolus sis, bene audias et multum de te sperent in Rep. Non tamen tegere studet QUINTUS, quam difficile sit, in tanta hominum multitudine, tam diversarum partium et ingenii, omnibus placere: in quo tamen multum eloquentia valet; atque adeo haud parvi momenti est, interdum largientibus, corruptoribus, ambitus studiosis, iudiciorum metum iniicere, ut ita perculsi admiratione tui potius quam accusatione futura perterriti, tibi suffragentur.

Honestae sane petitionis, sine ambitu et largitione et coïtione instituendae, ecce praestantissimum exemplum, quod quamvis imprimis ad M. CICERONEM eiusque in civitate rationes pertineat, tamen universe quoque utile esse poterat omnibus Consulatum petentibus: quo consilio misit etiam hanc fratri QUINTUS epistolam: qui eam, si opus esset, corrigeret, ut ita perfectum fieret petitionis commentariolum.

Tale fere huius opusculi argumentum est: haec sunt consilia quae fratri QUINTUS dedit. Non tamen erit supervacuum, ordinem quem in his secutus est, paucis exponere, et ostendere quam consentaneè logicae distributioni singula et retulerit et adumbraverit.

Exordium de fratris laude et de suo scribendi consilio. § 1.

Opusculi distributio in tres partes, de persona quae petit, de eo quod petitur, de loco ubi petitur (1).

---

(1) Haec pertinent quoque ad §m 1m; 2a. incipere debuisset a verbis: *nominis novitatem.*

Pars I. De persona quae petit, scil. homo novus. § 2-12.

Haec nominis novitas

α. sublevatur: 1°. dicendi gloria, § 2.

2°. amicorum multitudine. § 3, 4. init. (1).

β. adiuvatur 1°. nobilium voluntate

tam hominum, maxime consularium, § 4, 5.

quam adolescentium, § 6.

2°. competione nobilium

tam inertium § 7.

quam infamium. § 8-12.

Pars II. De eo quod ab homine novo petitur, scil. Consulatus. § 13-53.

Cum multi sint qui ei hunc honorem invideant, § 13, 14.

α. ambitiosi 1°. nobiles

tam Consulares

quam magistratu non functi;

2°. novi Praetorii; § 13.

β. in populo multi

1°. ob horum annorum consuetudinem,

2°. ob causas quas egerit,

3°. ob CN. POMPEJI studium; § 14.

adhibenda est summa diligentia, § 15.

quae est duplex: I°. in amicorum studiis. § 16-40.

II°. in populari voluntate. § 41-53.

ad Im. Amicitiae sunt

vel α. fundatae, § 16-24.

fundatarum amicitiarum genera plurima sunt:

1°. cognati, iunctique necessitudine, § 16.

2°. ceteri amici domestici,

3°. tribules et familia, § 17.

---

(1) Quod usque ad voc. *aliud nullum fore* ad §m 3 referendum est.

4°. amici ad speciem,
5°. ad ius obtinendum,
6°. ad conficiendas centurias, § 18.
7°. qui gratiam tibi debent, § 19.
8°. qui a te defensi sunt. § 20.

Tribus modis hi amici adducendi sunt, ut causam nostram amplectantur: § 21.

1°. beneficio, § 21.
2°. spe, § 22.
3°. adiunctione animi vel voluntatis. § 23.

In singulis diligenter videndum est, quid valeant:
sunt enim aut gratiosi,
aut diligentes et copiosi,
aut nullius momenti, et potius odio. § 24.

vel β. comparandae sunt novae: § 25–33.
hoc 1°. facile et honestum est petitionis tempore, § 25.
2°. facile CICERONI,
ob virtutes, § 26.
ob competitorum mores et ingenium, § 27.
ob studium in hominibus cognoscendis. § 28.

(hae comparandae amicitiae) spectant imprimis centurias: § 29.
ex his, non eorum tantum qui ante oculos sunt, § 29.
sed totius urbis ratio habenda est;
imo totius Italiae, § 30–32.
imprimis vero, equitum
tum omnium,
tum prae ceteris adolescentulorum § 33.

(horum aliorumque) adolescentulorum studia magna sunt in assectando;
assectatio illa triplex est: § 34.
1°. salutatorum, § 35.

2°. deductorum, § 36.
3°. assectatorum (arctiori sensu), § 73.
(et in MARCO singulare genus) 4°. defensorum. § 38.

At cavendum est a fraude et insidiis eorum qui amici non sunt, sed esse videntur; § 39.

horum tria genera sunt:
1°. laesi,
2°. qui sine causa non amant,
3°. competitorum valde amici. § 40.

ad II^{m}. Altera diligentiae pars versatur in populari ratione: § 41.

ea desiderat 1°. nomenclationem,
2°. blanditiam, § 42.
3°. assiduitatem, § 43.
4°. benignitatem,
quae est 1°. in re familiari,
2°. in conviviis,
3°. in opera: § 44.

haec (opera) si dari potest, hilari vultu danda est;
si non potest,
aut iucunde neganda est, (1)
aut caute promittenda. § 45-49.

5°. rumorem, § 50-52.
6°. spem in Rep. § 53.

Pars III. De loco quo petitur, qui est Roma: § 54-57.

---

(1) Sic locum restituendum censet Orell.: *aut iucunde neges, aut caute promittas.* Mendum alterius membri est in omnibus fere codicibus; etiam in collatione Lagomarsiniana, excepto uno libro quem n°. 50 notavit, qui habet *ut id aut iucunde promittas, aut ingenue neges*, ex coniectura scilicet Lambini, cuius editio princeps a. 1566. hoc numero 50 significari videtur. At hac de re in Part. II huius adnotationis pluribus agemus.

civitas 1°. referta multis diversorum morum hominibus, quibus omnibus placere, vix alicuius est; § 54. maxime tamen placebis eloquentia: (1)
2°. valde vitiosa, et largitione corrupta, quod observatione et metu iniiciendo est avertendum. § 55-57.
Conclusio qua opusculum fratri commendatur. § 58.

Diversae huius libelli, qui jam *Commentariolum de Petitione Consulatus* audit ex FACCIOLATI (2) emendatione vulg. *commentarius*, in codicibus et editionibus antiquissimis sunt inscriptiones. In editione Mediolani 1499 superscriptum est huic opusculo: *de petitione consulatus ad M. Tullium Ciceronem.* PETREIUS (3) adnotat: »non pauci vetustiores codices epigraphen ita habent: *Q. Cicero M. Tullio Fratri S.*, sive *Q. Cicero de petitione consulatus ad M. Tullium fratrem.*" Codex Erfurtensis non, ut ORELL. ait, inscriptus est: *Epistola Q. Cic. de pet. cons.:* haec est ipsius WUNDERI; sed: *Q. M. Fratri s. d.* Codex Leidensis

---

(1) Haec sententia ad voc. *laedendo repelluntur* pertinent etiam ad § 54. (2) Doct. Hummel p. 13. Ed. suae, cui titulus: »Q. Ciceronis commentariolum de petitione consulatus ad M. T. Fratrem. Cum animadv. Christ. Gottl. Schwarzii, edidit Bernh. Frid. Hummel. Norimb. 1791." »hanc" inquit »inscriptionem praetulit Schwarzius vulgari *commentarius*, quia in fine, Cap. XIV. huius opusculi ipse Quintus scripsit: »Volo enim hoc *commentariolum* petitionis haberi omni ratione perfectum." Habet eundem etiam Cod. D. Marci." - Primus autem eam epistolae praeposuit Facciolatus, ut patet ex huius adnotatione ad Ed. 1^m^ quae Petavii prodiit a. 1732, et cui adiecta est Italica interpretatio. (3) »Epistolae duae, una Q. Ciceronis ad M. Tullium, de petitione consulatus: altera M. Tullii Ciceronis ad Q. Ciceronem Fratrem, de ratione bene gerendae provinciae, Rolandi Petreii ICti commentariis illustratae. Paris. 1564."

sine titulo est; sed recentiori manu superscriptum est ei: *de petitione consulatus ad Q.* (sic) *Fr.* Iam videamus, quid praebeat collatio Lagomarsiniana. E duodecim ex ea vel codicibus vel editionibus antiquissimis, quibus hoc opusculum continetur, numeris ab ipso notatis (1), L. 36. omittit titulum; L. 38. habet: *commentarium petitionis consulatus M. T. Cice. ad Q. Fratrem* (nota eundem errorem ac alterius manus in Cod. Leid.); de auctore dubitat L. 117, qui habet: *De petitione Consulatus ad Q. aut M. Ciceronem Fratrem. Quod opusculum pars M. Ciceronis, pars Quintii esse volunt. Phrasis autem et ratio Quinto adiudicant, nam solus Marcus Consulatum gessit, at cuiuscunque est;* (sic) *poenitendum certe non est, et quia orationis saltem paraeneticae formam habet, caeteris apposuimus.* L. 3 et 122 habent: *Q. Cicero de petitione consulatus ad M. Tullium fratrem.* L. 47, 50 et 127: *Q. Cicero de Petitione Consulatus ad M. Tullium Fratrem.* Quatuor autem reliqui concinunt fere cum inscript. Orell.: *Q. Ciceronis de petitione Consulatus ad Marcum fratrem Liber* habent L. 124, 126.; *Q. Ciceronis de Petitione consulatus ad M. Tullium Fratrem Liber* L. 48, 49; quae inscriptio nihil ab orell. differt.

---

(1) Eosdem retinuimus, addentes singulis L. – De significatione horum numerorum agendi locus erit, cum in Parte II. de industria de hac collatione disseremus; de qua interim conferantur Peyron, *Cic. Orat. fragm.* p. 237, sqq. Ed. Stuttg. 1824. 4⁰. p. 237, Zumpt, *Cic. in Verr.* Berol. 1831. p. xxxi, sqq., Blume, *Iter Italicum*, Tom. I. p. 350, Tom. IV. Append., Ellendt, *Programma de codicibus Ciceronis Mss. in Italia repertis.* 1836. Bandinius, *Catal. cod. Lat. bibl. Mediceae*, T. II. p. 487, sqq.

SECTIO PRIOR.

ADNOTATIO HISTORICA.

CAPUT PRIMUM.

DE AUCTORE.

Ex iis quae de inscriptionibus modo diximus, apparet duos descriptores opusculum MARCO CICERONI tribuisse; unum dubitasse, utrum MARCI an QUINTI fuerit. Error in codicibus facile exsistere inde potuit, quod hoc opusculum indistincte plerumque ceteris M. CICERONIS operibus descriptis, horumve parti fuit interpositum. Sic in cod. Leid. medium inter *pro domo sua* et *in Vatinium* locum obtinet; in L. 117., ex ipsa insulsa librarii adnotatione, itidem orationibus immixta fuisse videtur. In aliis, sine dubio Epistolis fuit additum; ut de iis qui titulum *Q. Marco s.*, aliamve non dissimilem habent coniiceres; quod ex cod. Erfurtensis ordine confirmatur, ubi (1) post *in Verrem* nominantur *Epist. libri tres;* quorum primo (2) fuerunt comprehensae aliquot ex epistolis *ad diversos;* se-

---

(1) In serie, quae a docto quodam homine seculi XV[i]. confecta, codici annexa, invenitur in W u n d e r i, *variae lect. cod. Erfurt.*, Praefat. p. x. (2) Ut ex p. xv. ibid. patet.

cundus est singularis *ad Octavianum* epistola; tertius liber unam hanc *de petitione consulatus* continet. Alii rursus tabellarii philosophis scriptis adjecerunt vel rhetoricis, ut v. g. de iis qui additum habent voc. *liber* licet statuere. - Incuria igitur potius descriptorum causa esse videtur, quare MARCO tributum fuerit, quam quidem opinio ipsum revera QUINTI nomine scripsisse. Haec autem quorumdam sententia quam PALERMUS refert (1): »ac video esse etiam qui putent non a QUINCTO sed a MARCO hoc opusculum esse conscriptum, et in fratris gratiam QUINCTI nomine divulgatum:" haec, inquam, sententia eorum forte fuit, qui prava codicum inscriptione decepti, de eius rationibus coniecerunt; et forte in dicendi ratione, forma scriptionis διδακτικῇ, in QUINTI aetate, honorum defectu, cet. sat superque multa sibi visi sunt reperisse argumenta, quibus QUINTO abiudicarent. Quidquid sit, nodum scindit sane, magis quam solvit PALERMUS, addens: »quorum opinio, ni fallor, divinatione potius quadam quam certa ratione nititur." Ideoque non est de eo magnopere altercandum. Mihi sane libet credere, huius libelli scriptorem QUINCTUM fuisse." Satius igitur duco, nonnulla referre, quae contrariam opinionem tollere queant, et argumenta quibus eam firmaverint dissentientes vel firmare potuerint, paucis refutare. Simul de studiorum, familiaritatis et rerum gestarum inter duo fratres ratione, ad id tempus usque, quo scripta est haec epistola, disserendi erit locus.

Q. TULLIUS CICERO (quamvis enim TULLII nomen raro ipsi

---

(1) Comment. ad Q. Ciceronem, addit. Cicer. Oper. T. IX. Edit. Ald. Venet. 1583, p. 241, et Ed. Hagan. *Epistol. ad Q. Fratrem* a. 1725. p. 247.

datur, optime ei competit (1)) in Arpinati villa natus est, tribus vel quatuor (2) fere post fratrem MARCUM annis, a. u. 551 vel 552. CATON. (secundum VARRON. a. 552 vel 553); iisdem ac frater artibus eruditus, eadem usus est disciplina, et MARCO teste, optimè de ea profecit: nec mirum; ut inter fratres magna tam morum quam literarum studii exstiterit coniunctio, quae dein in animi cultu, in sententia de Rep., in sermone ipso apparuit. Mutuo amore ardebant fratres, adeo ut numquam fere MARCUS fratris meminerit, nisi simul carissimum, amantissimum atque optimum vocet (3). Oratoriam laudem non ambivit, sive iudicio sive pudore et timiditate ingenua a dicendo refugerit, sive etiam tenuissima valetudine fuerit impeditus (4); oratione ceterum ipsius nihil erat aut subtilius aut ornatius; qui prudentiam rationemque dicendi per se ipsum, usum autem per fratrem percipere voluit (5). De doctrinae monumentis ipsius, quae praesertim in tragoediis aliisque poëmatibus constiterunt (6), nihil fere nobis servatum est: aliquot versus inter fragmenta M. CICERONIS editi sunt; ipsius quatuor tantum epistolae, quarum haec una longior de consulatus petitione, supersunt. In Philosophia Stoicos secutus est (7). Ejus mores plerumque

---

(1) Cf. Rich. Streinnius *de gentib. et famil. Rom.* in Graevii *Thes. Ant. Rom.* T. VII. p. 1132. (2) Duobus vel tribus, putat Abeken, *Cicero in seinen Briefe*, p. 2. (3) Cf. Cic. *de orat.* II. 3. 10, *in Catil.* IV. 2. 3, *p. Mur.* 4. 10, *p. Planc.* 28. 69, *p. Sext.* 22. 49, 31. 76, 69. 145, *p. Scaur.* 2. 35, 37, 39, *p. Cael.* 32. 78. cett. (4) Caes. *Bell. Gall.* V. 40. (5) De his omnibus cf. Cic. *de legg.* II. 1, *de orat.* II. 1 et 3. *Ep. ad Quint.* I. 10. (6) *Ep. ad Quint.* II. 16. 3, III. 1. 4, 13. III. 4. 4. III. 5 (6). 7, III. 9. 6. (7) Ut patet ex L. I. *de divinat.*

summopere laudantur (1), imprimis humanitas (2), indulgentia (3), fratris observantia (4), ardor (5). QUINTUS ut fratrem prae omnibus amabat, sic ubique fere iuvenis atque adolescens eum est comitatus; et cum a. u. 674. Athenas ille proficiscebatur, una cum ipso ANTIOCHUM audivit. In Siciliam quoque quum MARCUS Quaestor ivit, cum eo profectus esse videtur, a. u. 678, natus fere 26 annos; nam in Verrinis (6) dicitur Halesinae civitatis senatus AENEAE Halesino publice dedisse, ut MARCO et QUINTO gratias ageret.

Iam videamus, quaenam inter ambo fratres ratio intercesserit eo tempore quo M. petebat Consulatum: verum illa res paulo altius repetenda est. Auctor fuerat MARCUS QUINTO, ut uxorem duceret POMPONIAM, ATTICI sororem (7); illaeque nuptiae celebratae sunt, degente adhuc in Graecia ATTICO, a. u., ut videtur, 684: prior saltem epistola, in qua de confectis nuptiis sermo est, et simul de exortis inter coniuges dissidiis, ad ATTICUM scripta est a. u. 685. POMPONIA de iis ad ATTICUM scripserat, hic ad MARCUM, qui tum literas ad QUINTUM misit »quibus" ait (8) »et placarem ut fratrem, et monerem ut minorem, et obiurgarem ut errantem." QUINTUS fratri morem gessit, et in agro cum uxore degens, saepius ad M. scripsit, unde hic ita esse, ut oporteret, confidebat. Paulo post Romae exspectabatur quotidie, forte ut initium faceret honorum petitionis: nam 33m aetatis annum iam peregerat: sed aliquantum postea, cum uxore in Arpinatibus praediis erat (9),

---

(1) *Ep. ad Att.* I. 17. 2, 18. 1, II. 1, *ad Quint.* I. 1. passim. (2) *P. Flacc.* 32. 78. (3) *Ad Att.* X. 6. 2. (4) *Ad Quint.* II. 10. 1, *ad Att.* IX. 6. 4. (5) Caes. l. l. (6) III. 73. 170. (7) Nepos, *vit. Att.* 5. 3, ibique Schott. (8) *Ad Att.* I. 5. (9) Ibid. I. 6.

et secum habebat hominem χρηστομαθῆ D. TURRANIUM, valde ipsi amicum (1), et VARRONI (2). Inde tamen sub finem anni rediit; et a. u. 686 cum uxore Romae fuisse videtur (3), eamque, teste CICERONE, diligebat; qui signum ejus rei affert, quod praegnans erat (4): et Praetore M. CICERONE, a. 686, filius ipsi QUINTUS natus est (5).

Sub eiusdem anni finem primum legimus de QUINTI comitiis. Mense Februario (6) scribit ad ATTICUM M.: »Repente abs te in mensem Quinctilem reiecti sumus. Nunc vero censeo, - quod commodo tuo facere poteris, - venias ad id tempus, quod scribis. Obieris QUINTI fratris comitia;" cet. Utrum iam ante Q. petiverit honores, certo nec affirmare nec negare possim; nihil de re ea constat: putem autem, ne petivisse quidem eum, sed ut minorem, et fratrem cupide amantem, ab honoribus petendis abstinuisse, ne repulsa forte sua fratris fortunae noceret. Nunc vero cum M. Praeturam gerebat, eamque adeo facile sibi paraverat, ut ne ATTICI quidem ope eguerit (7), et tamen cunctis suffragiis ter primus fuerit renunciatus (8), iam QUINTO licebat honores petere; ipse ei frater opitularetur; ATTICUS autem Romam veniret, ut ipsum civibus commendaret. - At de quibusnam hic comitiis agitur? Plura faciunt, ut de Aedilitiis cogites; nam Praeturam petivit, Consule CICERONE; gessit anno post, u. 691, SILANO et MURENA

---

(1) Ibid. et VI. 9. 2. VII. 1. 1. (2) *De re rust.* II. praefat. (3) *Ep. ad Att.* I. 8. dicitur »Mater tua et soror a me Quintoque fratre diligitur:" cum in ep. praec., script. mens. Decembr. a. 685, dixerat: »apud matrem recte est, eaque nobis *curae* est." (4) Ad Att. I. 10. (5) Cf. Tunstalli *Ep. ad Middletonum*, Cantabr. 1741. p. 11. (6) Billerbeck, *Cic. epist. temp. ord. dispos.* T. I. p. 18. (7) *Ad Att.* I. 10. 6. (8) Ibid. I. 11, *Brut.* 93. 321, *in Pis.* 1. 2.

coss. (1); inter Aedilitatem autem et Praeturam biennium otii intercessisse debuit; quod omnino cum a. u. 688 convenit; adeo ut a. 687 petiverit; - accedit tempus comitiorum Aedilitiorum, [quae habebantur fere mense Quinctili, paulo post Tribunitia (2).

Tertio autem quaeri potest, utrum revera ATTICUS venerit, nec ne; TUNSTALLUS dicit (3): »ATTICUS deinde, ut solebat (*), ad mensem Quinctilem videtur adfuisse, et comitia QUINTI Aedilitia obiisse:" qua in re cum viro doctissimo facere non possum: ATTICUM eo tempore Romae fuisse non credo: de ejus *reditu* ex Graecia cogitari nequit: ea enim migratio a. u. 688 (4), L. COTTA et L. TORQUATO Coss., demum locum habuit, teste NEPOTE; sed ne de intermedio quidem itinere, quale NEPOS memorat l. l. a TUNSTALLO, hîc agi posse puto: praeterquam enim quod singularia quorumdam comitia in his non spectaverit NEPOS; neque singulis annis illud iter fecerit ATTICUS; - ex duabus epist. ad ATTICUM (6) apparet, eo

---

(1) Male Orell. ad proximum demum annum refert: nam in *ep. ad Q.* I. 1. 2, scripta a. u. 694, refertur per duo iam annos in Asia pro Praetore degisse: ann. igitur 692, 693; adeoque necesse est, ut a. 691. in urbe fuerit Praetor, et Archias, eo Praetore, defensus sit. Schol. Bob. ad Cic. *p. Arch.* p. 354. Or. Cf. quoque Pighius, *Ann.* T. III. ad ann. 691, Tunstall. *Ep. l.* p. 13. Manut. ad ep. *ad Att.* I. 4. et Ferrat. et Garat. ad argum. or. *p. Flacc.* Praeterea a. u. 692 fuit iam Q. in Asia, nam eius anni nonis decembr. scripta est ep. *ad Att.* I. 17, qua de eius profectione mentio fit. (2) Cf. Wunder, ad Cic. or. *p. Planc.* proleg. p. LXXXIX; qui hunc tamen locum non affert. (3) *Ep. l.* p. 8. (4) In Billerb. Ed. T. I. p. 1, errore typogr. 686. a. u. c., 65 ante Chr. rediisse dicitur: legatur 689 a. u. c. [scil. Varron.], 65 ante Chr. n. (5) *Vit. Att.* 4. 5. (6) I. 4, script. a. 686. coll. cum I. 1, script. a. 688.

(*) *Nihilominus amicis urbana officia praestitit: nam ad comitia eorum ventitavit.* Nepos. *in vit. Att.* [4. 3.].

temporis spatio (quamvis illius nulla supersit epistola) Romae non fuisse ATTICUM, quum tamen a. 687 QUINTI comitia habita fuerint: in priori enim epistola dicit M.: »quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, et ornamentum Academiae proprium meae" cet.; in posteriori: »Hermathena tua valde me delectat et posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλίου ἀνάθημα esse videatur." Unde coniicere licet, Hermathenam *misisse* ATTICUM, ipsum Athenis mansisse; unde non nisi a. 688 redierit, ut MARCI comitiis consularibus adesset. Praeterea non adeo cum QUINTO ATTICUS coniunctus fuit, ut propter eius comitia aedilitia tantum iter faceret (1).

Alia rursus quaestio est, utrum adeptus sit Aedilitatem QUINTUS, an vero repulsam tulerit? qua de re dubitant viri docti, proniores tamen plerique ut gessisse credant; et multa sunt, quae ut cum iis faciam, adducant. Non quidem Romam venit ATTICUS; et in QUINTUM multas videntur iniurias protulisse ambitiosi et CICERONUM aemuli, ut POMPEIUM huiusque studiosos ab eo alienos redderent (2): attamen,

---

(1) Cf. Nep. *vit. Att.* 5. 3, 15. 3, 16. 2. (2) Hoc nititur explicatione verborum quorumdam in *Ep. ad Quint.* I. 3. 8, ubi dicit M.: »puto, per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium, ne ille versus, qui in te erat collatus, quum Aedilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur." Ern. explicat de versu, quo Quintum petentem alii iniuriose affecerint, atque ambitus suspicionem in eum moverint; et legem Aureliam aliquam de ambitu fingit, quam statim Orell. in legum indicem recepit. At omnino aliter, et verborum indoli magis consentaneè, hunc l. explicat Billerb. T. I. p. 253, exemplis probans verba *versus qui in te erat collatus* significare, *cuius auctorem te habent; tibi tamquam auctori tributus.* Scil. erat versus fortasse, quo invehebatur in Pompeium, quo lex Aurelia iudiciaria improbabatur, cet., qui vel iam a. 683, paulo post latam l. Aureliam, vel hoc demum anno prodierat; quique nunc Quinto, cuius notum erat poëtices studium, et fortasse

Aedilem fuisse crederem; praeterquam enim quod saepius CICERO memorat maxima QUINTI beneficia (1), summam de eo exspectationem (2), et antiquissimam ei esse dicit imperii scientiam (3), amorem in QUINTUM civitatis (4) effert, et denique a QUINTO omnia semper honesta ac iucunda ipsi cecidisse testatur; – praeter haec omnia, quae repulsae suspicionem longe reiiciunt, – in Planciana (5) quoque, de municipiorum studio agens, »quid ego" inquit »de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri, prope dicam, ipsi montesque faverunt;" qua in re QUINTI mentio, si repulsam aliquando tulisset, risum potius quam admirationem excitasset. Adde rationes, quibus motus M. Consulatum petens CAECILIUM contra SATRIUM defendere noluit: »observat L. DOMITIUM maxime; me habet proximum. Fuit et mihi et Q. fratri magno usui in nostris petitionibus" (6); ubi eius operae in QUINTI petitione grato animo recordatus non esset, si nuper (nam duobus annis postquam comitia eius habita sunt scripta est epistola) et sola qua fratri usu venisset occasione, nihil adiuvisset. Tandem in Planciana VERGILII mentionem faciens CICERO, dicit (7): »quocum me uno vel maxime quum vetustas, tum amicitia, quum *mei fratris collegia*, tum Reip. causa sociarat," ubi voc. *collegia*, in plurali positum, plus uno in magistratu collegam fuisse VERGILIO QUINTUM notat; ut recte vidit PIGHIUS (8).

---

opinio de tribunis pl. (Cf. *de legg.* II. 9.) increbuerat, tribuebatur, ut Pompeianos ab eo alienarent. Et hinc ingens Marci cura, ut Atticus ipse eo tempore Romae adesset, cuius apud illos auctoritatem ipse dein sibi imploravit, *ad Att.* I. 1. 2.

(1) *Ep. ad Quint.* I. 1. 26. (2) Ibid. 41, 42. (3) Ibid. 24. (4) *Ep.* I. 3. 5. (5) 8. 20. (6) *Ad Att.* I. 1. 3. (7) 40. 95. (8) *Annal.* ad a. u. 691, cui assentitur Wunder. in *Comm. ad Planc.* p. 237.

Ita sublatum esse credo argumentum quo probare possent adversarii, QUINTUM non scripsisse hunc ad M. fratrem libellum, quod scil. qui repulsam in magistratu petendo tulerit, non de optima petendi ratione disseruisset.

Si igitur a. u. 688 Aedilis fuit Q., quo iam prensare coepit CICERO a. d. XVI Kal. Sept., comitiorum tribuniciorum, quibus magna hominum turba intererat, occasionem arripiens, - sequenti demum anno libellum huncce, eamve, si velis, epistolam, scripsit; nam ad *petentem* fratrem scripsit (1): quae vox solemnis est de anno tantum eo, qui magistratum praecedit (2). Utrum Romae illo tempore fuerit, an vero in agro, non liquet; et revera, nil ad rem facit, cum saepius talia finxisse veteres sciamus: attamen Roma abfuisse crediderim, in primis propter epistolae finem, in quo praesens non scripsisset, se haec fratri corrigenda tradere; sed ipse dixisset. Attamen per totum biennium, quod MARCI Consulatum praecessit, Romae degit, ut ipse testatur (3); et etiamsi hanc epistolam scribens in municipiis v. g. CICERONI petenti opitularetur, non diu post sine dubio Romam rediit, ut deductorum frequentiam augeret, et fratri ex sua assiduitate auctoritatem adderet.

In ipso quoque Consulatu una cum ATTICO ei affuit, et non parum opis ipsi tulit. Hanc QUINTI curam fratris salutem promovendi gratus agnoscit M. tum alias, tum in epistola illa, quam ad ipsum pro Praetore in Asia degentem scripsit de administratione provinciae, ubi v. c. dicit (4): »Nunc vero sic se res habet, ut nisi omnia tua

---

(1) *De Pet. Cons.* § 1, 13, 58. (2) Cf. quoque *p. Cael.* 4. 10. »deinceps fuit annus, quo ego consulatum *petivi;*" *in Vatin.* 15. 37. »biennio quo quis *petat*, petiturusve sit." (3) *De Pet.* § 19. (4) *Ad Quint.* I. 1. 43.

facta atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me tantis meis laboribus, tantisque periculis quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. Quod si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus praeter ceteros adjuvisti" cet.: quibus postremis verbis nisi ad hanc quoque de Consulatus petitione epistolam respiciat, omnia me fallunt.

In eadem epistola multa sunt, quae ut QUINTI epistolae huius memorem MARCUM testantur, sic eam ab ipso M. scriptam esse opinionem longissime repudient. Ut enim non sine huius Q. scriptionis recordatione dicit (1): »sed ego, qui cum tua lego, te audire, et qui quum ad te scribo, tecum loqui videor; idcirco et tua longissima quaque epistola maxime delector, et ipse in scribendo sum saepe longior," - sic tota quoque huius epistolae forma notat M. studium, ut *ἀντίδωρον* QUINTO mitteret. Imo ipsum utriusque epistolae initium uti nunc inter se convenit, - si utrumque ab eodem profectum fuisset, differre debuisset. Atque totum dicendi genus discrepat: QUINTUM vides hominem esse, qui logicae operis distributioni studet, ab eaque ut ne hilum quidem aberraret, in varias partes scindit singula; in singulis hisce rursus distinguit, plane ut in L. I. *de inventione* rhetoricam docens M., sed concisius etiam ac brevius: vides eum, qui nisi perfectum praeberet petitionis exemplum non quieverit; et quamvis omni ratione a magistri persona abhorreat, magisterium tamen atque disciplinam numquam omittit. Ut haec probem, ipsa verba proferam: initio ait: »non ut aliquid ex iis novi addisceres, sed ut

(1) Ibid. 45.

ea, quae in re dispersa atque infinita viderentur esse, ratione et distributione sub uno aspectu ponerentur:" et alio loco (1): »ac, ne videar aberrasse a distributione mea.... hoc sequor:" denique in fine: »Haec sunt quae putavi non melius scire me quam te; sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse et ad te perscripta mittere." Omnino aliter in sua epistola M.: quamvis inde ab initio consilium habuerit QUINTI aliquot actiones perstringendi, eumque de iracundia et nimia facilitate reprehendendi, hoc neque ab initio ostendit et patefacit, neque quid et quo ordine acturus sit, antea explicat, et tamen omnia strictim facile tractat; laudans quasi, incipit monere; tum vero, ut si ab illo loco plane aliena egisset, se recipit, et monita excusat: »sed nescio quo pacto" inquit (2) »ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei praecipiam, quem ego in hoc praesertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem quam me, usu vero etiam superiorem?" cet.; et alio loco (3): »sed quid ego te haec hortor, quae tu non modo facere potes tua sponte sine cuiusquam praeceptis, sed etiam magna iam ex parte perfecisti?... At ea quae supra scripta sunt, non ut te instituerem, scripsi, - neque enim prudentia tua cuiusquam praecepta desiderat, - sed me in scribendo commemoratio tuae virtutis delectavit:" cet. Sane ab eodem homine tam diversa in eadem re agendi et scribendi ratio profecta non est.

At, aiunt, quî minor natu Q. maiorem fratrem moneret: ille praesertim quem nuper M. increpaverat, utque

---

(1) *De Pet.* § 49. (2) *Ad Quint.* I. 1. 18. (3) Ibid. 36.

discordias cum uxore mitteret, eamque amaret jusserat? Nimirum bene teneamus, ipsum M. sibi conscium fuisse, minus prudenter se in hoc matrimonio copulando egisse; itaque, si ab una parte illum moneret, ab altera, multa ei condonasse, ut eum magis sibi devinciret, atque saepius eius consilia invocasse, ut inconsultum suum ipsius factum tegeret. Q. autem hanc fratrem adiuvandi et auctoritate sua utendi occasionem non omisit: itaque M. tum assuetus erat hisce eius monitis, tum vero magni ea faciebat, ut saepius testatur: libros v. g. *de oratore* QUINTO inscribens, inquit: »nam neque auctoritate quisquam apud me plus valere te potest, neque voluntate;" quid mirum igitur, si hac oppurtunitate usus fuerit Q., ut ad eum de optima petendi ratione scriberet, cuius magna pars in parandis ac retinendis amicitiis constabat; imo post MARCI Consulatum sexcenties talia QUINTUM ad fratrem scripsisse, ipse M. testis est (1).

Tandem ipsi de petitione Consulatus epistolae plura mihi videntur inesse argumenta, quae tum MARCUM auctorem repudient, tum QUINTO vindicent. Praeterquam enim quod ita de M. loquitur, ut hic ipse talia de se, ne ex QUINTI quidem persona, protulisset, init. v. g. »etsi tibi omnia suppetunt quae consequi ingenio aut usu homines aut diligentia possunt;" et dein (2): »non potest qui dignus habetur patronus Consularium, indignus Consulatu putari;" cet. - sine dubio M. in QUINTUM hoc a se scriptum opus conferens, non addidisset: »tamen tu si quid mutandum esse videbitur aut omnino tollendum, aut si quid erit praeteritum, velim hoc mihi dicas."

---

(1) *Ep. ad Quint.* II. 14. 2, 16. 1. III. 1. 9, 12, 6. 5. cet.
(2) *De Pet.* § 2.

Magni pretii argumentum, quo QUINTO adiudicarem opusculum, esse credo in ipsa similitudine quae inter huius epistolae quosdam locos est cum iis quae nobis ex M. oratione *in Toga Candida* restant; unde patet, si quid video, M. CICERONEM, non nisi lecto hoc QUINTI scripto, orationem illam in Senatu habuisse: etenim putidum foret dicere, bis fere idem scripsisse CICERONEM; tum sane in invehendi ratione in ANTONIUM et CATILINAM diversam viam instituisset, quam in subornato fratri opusculo; nunc autem vides, et placuisse ipsi, quae Q. hac de re ornate et copiose dixerat, et eorum adeo meminisse, ut in sua subito dicta oratione, quae ORESTINI, Trib. Pl., intercessione in Senatu excitata fuerat (1), hisce cogitationibus obrutus, saepius eandem fere sententiam, sed magis contumeliose et maiori cum indignatione, protulerit.

Denique si ipse M. haec, sub QUINTI persona scripsisset, locutus fuisset de proposito in Galliam itinere (2), de quo nunc tacet Q.; multa de SATRII causa, quae ipsius animum obsidebat (3), verba fecisset, quam Q. non nisi attigit, dicens (4): »quo modo si qui roget, ut contra amicum aliquem causam recipiamus;" L. DOMITIUM laudibus celebrasset; ATTICI in nobiles auctoritatem memorasset; multo magis sua in POMPEIUM, suasoria oratione pro lege Manilia habita, beneficia extulisset; municipia enumerasset, quae eius causam fulciebant; ceteros competitores, CORNIFICIUM et LICINIUM, non omisisset; et sic porro: quae omnia omittere aut leviter adumbrare QUINTI esse debuit, celebrare autem atque computare M. non neglexisset.

---

(1) Ascon. ad h. l. p. 83. Or. (2) Cf. *Ep. ad Att.* I. 1. 2. (3) Ibid. 3. (4) *De Pet.* § 45.

Haec iam sufficiant ad eos refutandos, qui QUINTO hunc libellum abiudicant: quibus non tam diu immoratus fuissem, nisi simul et de QUINTO agendi occasionem arripere, et quaedam huius opusculi propria tractandi locum quaerere voluissem.

CAPUT ALTERUM.

DE M. TULLII RATIONIBUS IN REPUBLICA, PETITIONIS TEMPORE.

Multa sunt in hac QUINTI epistola quae ad civitatis conditionem, eo, quo Consulatum petebat M., tempore, quaeque ad huius rationes in Rep. pertinent: consilia quaedam et praecepta fratri data, laudes et in petitione commoda enumerata, cautiones nonnullae, quae ea unice tempora spectant, aliquam requirunt explicationem, qua tum ipsius opusculi quosdam locos interpretabimur, tum vero publicam rerum in civitate conditionem illustrabimus; in primis autem varias CICERONEM inter et reliquos eius competitores rationes oculis proponemus.

Duae erant in civitate Romana partes inter se oppositae, et tamen se invicem interdum indigentes, ut id quod efficere studebant, assequerentur: erant nobilium sive optimatium (1) partes, iisque oppositi populares. Utriusque partis unum propositum, imperare, et omnibus

(1) Alio sensu *optimates* et *populares* intelligit Cic. *p. Sext.* 45. 97, sq. Cf. *de off.* II. 22. 78.

praeësse: utraque publicam salutem se defendere prae se ferebat, ut eo facilius civitate potiretur; utraque nihil omittebat, quod sibi posset prodesse, alteri nocere: utebantur hominibus moribus dissolutis, Reip. pestibus, qui novas res, ut aes alienum solverent, moliebantur; militum copiam, abiectissimam faecem, servorum turbam, nihil non sibi comparare conabantur, quo unum imperandi consilium assequerentur (1). Optimatium partes in SYLLA superaverant, plebs oppressa, tribuni pl. reiecti, nobilitatis favor summus. POMPEIUS, unus ex optimatibus, vidit ut ad summum in civitate culmen perveniret, plebe et popularibus sibi opus esse; exorsus itaque a Tribunorum potestate restituenda, iudiciariae Aurelii legi favit, omni ratione populi partes se amplecti simulavit, et non nisi iis, quae summo ardore cupiebat, potitus, nobilibus se adiunxit; donec CAESAR, qui primum POMPEIO studere videbatur, sed unice, ut populi sibi voluntatem adsciscerct, militibus et populari voluntate adiutus, tandem illum superavit. – At iam egressus sum quos mihi ipse fines posueram. – In hoc consistendum est: POMPEIO nimirum opus fuisse summo quodam in civitate viro, plebi gratioso, non tamen timendo, qui ipsi semper suffragaretur, ipsius causam ageret, ipsi summum imperium vindicaret; et quem, si non amplius eo egeret, vel pessumdare vel servare posset, prouti suis rebus conduceret (2).

---

(1) Sallust. *Cat.* 17. »Erant praeterea complures paulo occultius consilii huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut alia necessitudo.” (2) Hoc ex eo quoque apparet, quod cum dein in epistola ad Pompeium Consulatum suum seque ipse Cicero insolentius efferret, Pompeius id aegre tulerit, et, ut ait Schol. Bob., Pompeii stomachum non mediocriter commoveret Cicero. Cf. *p. Planc.* 34. 85, ibique Schol. Bob.

Ille homo CICERO fuit; talem se praestitit in POMPEIO ornando, MANILII causa suscipienda, POMPEII partibus et studiis favendo: attamen ne ita quidem metuendus, quippe novus, a militibus ignotus, nobilibus exosus, nec ipse potius Remp. capessere affectans, quam dicendi gloriam et popularem famam, eoque ipso aliquam apud nobiles auctoritatem assequi studens.

Ipse CICERO, equestri loco natus, naturae dotibus, ingenio, morum probitate, summa dicendi virtute praeditus, POMPEII causam amplexus erat ut suae ipsius ambitioni satisfaceret, illius partis victoriam promovendo, cui ipse se dederat (1); eo etiam consilio, ut a POMPEIO in honoribus petendis adiuvaretur, et tandem, quia POMPEII virtutes magni faciebat, ab eoque minus, quam ab aliis, civium libertati metuebat.

Iam Consulatum petens a CN. POMPEJO multum exspectabat, nec dubitabat de huius in ipsum voluntate; adeo ut iocans ad ATTICUM scripserit (2): »nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit." Ab altera parte POMPEII inimici, metuentes ne eius potestas in Rep. cresceret, aegre ferentes populi eum uti turba, quo melius suas res ageret, optimates vero, paucis exceptis, negligere, ipsi CICERONI, quippe POMPEII laudatori et amico omni ratione se opposuerunt; at POMPEIUM metuentes, suam sententiam potius aliis competitoribus opitulando quam ipsi et CICERONI adversando ostenderunt. CICERO igitur petens, quamvis POMPEIUM laudibus ornaret, eiusque in Rep. auctoritatem summopere efferret, POMPEII erga se

---

(1) Dio Cass. 36. p. 23. Ed. 1592. »Κικέρων . . ἐνεδείκνυτο καὶ τῷ πλήθει καὶ τοῖς δυνατοῖς, ὅτι ὁποτέροις ἂν σφῶν προσθῆται, πάντως αὐτοὺς ἐπαυξήσει. (2) I. 1. 3, ibique Billerb.

voluntatem, suumque ipsius metum potius quam mutuam amicitiam nobilibus proponere debuit; quo hos ne eum offenderent et laederent absterreret, a se ipso autem non magis etiam alienaret (1).

Altera ratio quare CICERONI se opponebant nobiles, erat ipsius studium ut populo placeret: viderant, saepe eum populi causam defendisse, et vera eius commoda curae habuisse in concione; viderant populum, eo ipso quod POMPEIUM adamabat, CICERONI favere; metuebant ne Consul CICERO optimates opprimeret, leges populo gratas suaderet, et in POMPEIUM principatum, omniaque populi beneficia conferret; »noli putare" inquit Q. (2) »eos qui sunt eo honore usi, non videre tu quum idem sis adeptus quid dignitatis habiturus sis": hinc eius consilium (3): »persuadendumque est iis, nos semper cum optimatibus de re publica sensisse, minime populares fuisse."

Praecipua autem causa quare CICERONEM nobiles oderint, fuit eius novitas (4): »pleraque nobilitas" inquit SALLUSTIUS (5) »invidia aestuabat, et quasi pollui Consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret." Imo in ipso populo multi erant, qui ex consuetudine eorum annorum, qua subreptim et insidiose novi

---

(1) Cf. *de Pet.* § 5: »si quid locuti populariter videamur, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adjungeremus, ut eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non adversarium." (2) *De Pet.* § 13. (3) Ibid. § 5, init. (4) Sic novi saepe nobilibus oppositi. Cf. *de Pet.* § 4. Cic. *p. Mur.* 7. 16. imprimis spectabilis locus *p. Planc.* 5. 12. ubi sibi opponuntur *nobiles*, *novus* et *ignobilis*. Cf. Wunder. *Comm.* p. 74 sq., ut *de Pet.* § 7, 8. nobiles infames novis innocentibus. (5) *Cat.* 23.

nonnulli honoribus potiri quaesiverant (1), ab iis erant alieni (2): est enim illa hominum natura ut imaginibus maiorum plus saepe tribuant quam virtuti et ingenio (3): et ipsa plebs quamvis nomen non haberet, in iis qui magistratum adipiscerentur, dignitatem generis magni faciebat (4). Ita quum se haberet nobilium in CICERONEM animus, non exigua sane competitoribus ipsius spes inesse poterat, ut hunc saltem superarent. Quinam autem hi competitores fuerint, quibus moribus, qua spe ad petitionem accesserint, nunc dicendum est, ut dein quid CICERONI et sperandum et metuendum fuerit, rectius perspiciamus. Haec QUINTI epistola praecipuos ex illis in lucem proferet.

Plerumque iam diu ante quam petendi tempus instaret, multi qui in sequentem annum vel postea Consulatum peterent erant noti; quotidie hac de re, deque proximis candidatis erat sermo; Praetorii viri digito designabantur; nonnulli tamen a petitione abstinebant, sive quod aliis potius negotiis essent intenti, sive quod de populi voluntate dubitarent. Sic v. g. scribit ad ATTICUM M. (5):

---

(1) Hic, ex Palermi quoque sententia, est sensus verborum: »quam multi consuetudine horum annorum ab hominibus novis alieni.'' *De Pet.* § 14. Cf. Sall. *Iugurth.* 4: »etiam homines novi qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia ad imperia et honores nituntur.'' Male Hoffa, in sua recentissima huius Q. opusculi edit. ad h. l., explicat de eo quod post longum tempus primus Cicero novus Consulatum adeptus erat. Nam pron. *hic* notat tantum proxime elapsos annos. Cf. Zumpt, *Lat. Gram.* § 479, Ern. in clav., et ipse Q. *de P.* § 18, 35. Constat autem ex Cic. *de l. Agr.* II. 1. 2, 2. 3, *p. Mur.* 8. 17. post *longissimum* tempus, »perlongo intervallo, prope memoriae temporum nostrorum'' (ut ipse ait) Ciceronem claustra ista nobilitatis refregisse. (2) *De Pet.* § 14. (3) *Pr. Sext.* 9. 12. (4) *Pr. Planc.* 6. 15. (5) I. 1. 1.

»AQUILIUM non arbitramur, qui denegavit et iuravit morbum, et illud suum regnum iudiciale opposuit." Hic enim, qui cum CICERONE Praetor fuerat, Rex ICtorum quam Consul esse maluit. - »De AULI FILIO [LUCIO AFRANIO] et de PALICANO [M. LOLLIO PALICANO] non puto te exspectare, dum scribam," ibidem ait M.: eodem autem tempore unus adhuc erat S. SULPICIUS GALBA, patricius, qui prensabat. At praemature id faciebat, non exspectaverat donec esset satis apta primum illud instituendi occasio; atque adeo magis sibi nocuit quam CICERONI ceterisque. Erat autem GALBA, vir integris moribus, sed ingenio stupidus, »sine nervis" ut de eo dicit Q. (1), iudex tristis (2), moribus probus, sanctus et sobrius (3). At, qui absque populari voluntate petens, quamvis aliis iam honoribus functus (4), »sine fuco et fallaciis, more maiorum, negatur" (5); quem CICERO ipse se gratia vicisse testatur (6). Alter qui eo tempore iam certus videbatur fore competitor, Q. CORNIFICIUS plebeius, attamen non novus, erat, de quo M.: »puto te in hoc aut risisse aut ingemuisse" (7); erat enim vir probus quidem et moribus gravis (8); adeo ut de P. CLODII incesto mentionem primus in Senatu fecerit (9), quasi de tali libidine ne fando quidem audivisset; sed qui, quamvis tribunatum pl. gesserit (10), et bene de Rep. sentiret, tamen neque Consulatu dignus, neque in petendo satis studiosus fuisse videtur. Profuit CICERONI, una cum CAESARE Consulem designatum fuisse THERMUM, populo ob viam Flaminiam absolutam gratiosum (11). Alii CAESONIUM quoque petiturum existimabant, cuius audaciam,

---

(1) *De Pet.* § 7. (2) *In Verr.* I. 10. 30. (3) Asc. ad Cic. *in Tog. Cand.* p. 82. (4) *Verr.* l. l. (5) *Ad Att.* l. l. (6) *Pr. Mur.* 8. 17. (7) *Ad Att.* l. l. (8) Asc. l. l. (9) *Ad Att.* I. 13. 3. (10) *Verr.* l. l. (11) *Ad Att.* I. 1. 2.

minimis in civitatem meritis, nullis praesidiis, nullo ingenio, Consulatum petentis, ipse CICERO miratus est (1): destitit autem a suo proposito. Praeter ANTONIUM et CATILINAM, quorum unus certus iam erat, alter si iudicio absolveretur, foret, eo tempore CICERONI competitores noti non erant: paulo tamen post (2) L. CASSIUS LONGINUS, nobilis (3) surrexit; qui ad id tempus pessimum animum stolido atque inerti ingenio texerat (4); dein in Catilinaria coniuratione improbitatem, libidinem, perversitatem omnibus ostendit (5); ultimus C. LICINIUS SACERDOS fuit, ut CORNIFICIUS maiorum honoribus commendatus (6), ut ille innocentissimus homo (7), nulla improbitate notus (8), admirabili constantia (9), qualem se et in Praetura urbana, et in Siciliae Propraetura ostendit (10): at haec omnia merita, et in petitione commoda, non nobili homini, quique, ut ex Verrinis (11) coniicere licet, benevolentia et humanitate magis quam insigni imperii scientia et agendi prudentia erat praeditus, Consulatus spem, talibus imprimis competoribus, parare non potuerunt.

---

(1) Ibid. 1. (2) Cavendum ab Orell., qui non semper annos Caton. et Varron. bene distinxit. Sic Galbam a°. 689, Cassium a°. 690 una cum Cicerone Consulatum petivisse dicit, in Onomast. in vv. (3) Nobilis, quamvis plebeius. Cf. Asc. *in Tog Cand.* p. 82, et Feratii locus cit. a Wunder. *in Planc.* p. 72. (4) Asc. l. l., *de Pet.* § 7, Cic. *in Catil.* III. 7. 16. (5) *In Catil.* III. 6. 14, 9. 25. (6) Asc. l. l. Minus accurate D. Hoffa, in Ed. sua adnotat p. 9: *novos* homines fuisse Licinium et Cornificium: - non vidit scil. novos eos demum esse, qui primi ex familiis suis magistratum curulem in familiam adtulerunt. Cf. Wunder. p. 75. Horum autem, ut ex Asconio patet, iam parentes honoribus fuerant potiti. (7) *Verr.* III. 50. 119. (8) Asc. l. l. (9) *Pr. Planc.* 11. 27. (10) *Verr.* I. 50. 130. (11) Ibid. III. 92. 214.

Tres enim in huius anni candidatis erant, qui omnium oculos ad se convertebant, et multo clariores viros, quam illos, obumbravissent. Horum quidem CICERO populari favore florebat, CATILINA contra et ANTONIUS nobilium auctoritate nitebantur. Horum uterque satis conspicuus est, ut per aliquod tempus eorum mentioni immoremur; praesertim cum ad insignis in hac QUINTI epistola loci explicationem multum conferat.

C. ANTONIUS, M. fil., si patri similis fuisset, CICERONEM non in dignitatibus tantum sed in laude quoque oratoria aemulatus esset. Nunc autem homo fuit nequam, iners, sine officio, sine ingenio, sine amicis (1), a pueritia sicarius (2), in exercitu Syllano praedo, in victoria quadrigarius (3); in Achaia cives spoliavit; et homine graeco accusante, in ius ducente, condemnatus, ipse iuravit se cum peregrino Romae aequo iudicio certare non posse (4). Et tamen ob patris nomen et familiae nobilitatem cum CICERONE Aedilis factus est: quo in magistratu splendidis ludis populi voluntatem captavit (5); at Praeturam petens, tabularum custodes (6) non habuit, nisi de faece plebis amicos, terrae filios SABIDIAM et PANTHERAM (7); et

---

(1) *De Pet.* § 28. (2) Ibid. § 8. (3) Asc. *in T. C.* p. 89. (4) Cic. *in T. C.*, Asc. ib. p. 84, *de Pet.* § 8. (5) *Pr. Mur.* 19. 40. (6) »Ad tabulam quos poneret non habebat" dicit Q. ibid. Agitur autem eo loco de magistratus petitione, ut recte vidit Palermus ad h. l. – Hinc credo intelligi *tabularum custodes*, de quibus saepius mentio fit, ut v. g. in illustri Cic. l. *in Pison.* 15. 36. »Hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum, et quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel aetatis excusatione vel honoris, id in mea salute, nullo rogante vos vestra sponte fecistis." Add. 5. 11, et auct. or. *p. red. in sen.* 7. »tu misericors me affinem tuum, quem tuis comitiis, praerogativae primum custodem praefeceras." (7) *De Pet.* § 8, ibique Pal.

primo renunciato praetore CICERONE, hunc humili animo precatus est, ut loco ipsi cederet: eiusque demum beneficio ad tertium ex postremo pervenit (1); ignavus, ut umbram suam metueret (2); egens, ut bona publice venderentur; libidinosus, ut Praetor amicam quam palam domi haberet, de pergulis emerit (3); infamis, ut a Censoribus Senatu fuerit eiectus (4).

Alter erat L. SERGIUS CATILINA, eadem qua ANTONIUS nobilitate et splendore; sed omnibus illum vitiis superans, una excepta ignavia: nam semper fortem hominem se probavit, ac nihil, ne leges quidem metuentem. ANTONIUS multos cives trucidaverat (5); - hic corroboratus est in caede civium; nam Syllanis partibus addictus, Gallico exercitui praepositus, primum ad Remp. aditum in equitibus Rom., CINNAE faventibus, occidendis fecit: M. VOLUMNIUS, L. TANTASIUS, TITINIUS, NANNIUS, aliique multi ab his percussi: imo talis erat CATILINAE furor, ut Q. CAECILIUM, sororis maritum, nullarum partium, suis manibus occideret. M. autem MARIUM GRATIDIANUM, hominem maxime popularem, bis praetorem, vitibus per totam urbem caedit; inspectante populo, collum gladio secuit, caput sua manu tulit (6). Libidinosus fuit ANTONIUS: - hic deprehensus in adulteriis, educatus est in sororiis stupris, sacra libidine polluit, in parentum prope gremio prae-

---

(1) Cic. *in T. C.*, ibique Asc.; et impr. Gruchius, *de comit. Rom.* L. I. p. 622, sq. Graev. *Thes.* - In S. II. C. II ad h. l. erit revertendum. (2) *De Pet.* § 9. De hoc loco, quo respici puto ad ludos circenses, victore Sylla, datos, quorum mentio fit *in T. C.* p. 89, 94, in part. II. fusius agam. (3) *De Pet.* § 8. (4) Ibid., Asc. *in T. C.* p. 84. (5) Cic. *in T. C.* p. 84. (6) *De Pet.* § 9, 10. *Cic. in T. C.* p. 87. Asc. ib. p. 84. Dio Cass. 37, p. 38.

textatos liberos constupravit, in sanctissimis locis dedecoris suspicionem reliquit (1). ANTONII turpes amici: - hic cum histrionibus et gladiatoribus vixit, imo cum omnibus, modo conditione essent inferiores, ut praecones SAPALA et CARVILIUS; scelere infames, ut equites POMPILIUS et VETTIUS; aere alieno gravati et Senatu eiecti, ut CURIUS et ANNIUS; lenocinio exercitatae, ut FULVIA; caedem et perniciem Senatui omnibusque bonis minantes, incendium et ruinam civitati, ut PISO et AUTRONIUS (2). ANTONIUS in exercitu praedo fuit: - at hic Praetor socios diripuit (3), et in Africa ita fuit versatus, ut statim redux causam de pecuniis repetundis dixerit (4), qua re iam tum Consulatum petere prohibitus est (5): in eo tamen ANTONIO beatior, qui cum peregrino Romae felici eventu agere non potuerat; - dum CATILINA bis fuerit absolutus (6); atque tam invidiosus ex iudicio discesserit, ut quotidie aliud in eum flagitaretur (7), et quasi *meridie non lucere* iudicatum fuerit (8). ANTONII bona vendita fuerunt: - hic ex eo ipso iudicio tam egens discessit, quam quidam iudices eius ante iudicium fuerunt (9); et aere alieno obrutus, non nisi urbis exitio, civitatis eversione et occupato imperio rem familiarem restitui posse ratus est.

Tales viri fuerunt, qui cum CICERONE Consulatum petentes, contra omnium bonorum opinionem, fere uterque

---

(1) *De Pet.* ibid. Cic. *in T. C.* p. 92, 93. *p. Cael.* 5. 12, sqq. Sall. *Cat.* 15. (2) Dio Cass. 36, p. 24. Suet. *Caes.* 9, 17. Sall. *Cat.* 14, 18, *de Pet.* § 10. (3) Cic. *in T. C.* p. 86. (4) Asc. *in Cornel.* p. 66. (5) Sall. *Cat.* 18. (6) *Ad Att.* I. 16. 9, *in Pis.* 39. 95, *in T. C.* p. 87. Asc. ib. p. 85. (7) *De Pet.* § 10. (8) *Ad Att.* I. 1. 1. (9) *De Pet.* § 10. Sic de P. Clodio, Cic. *in fragm. orat.* »ut ille iudicio tamquam e naufragio nudus emerserit." Cf. Schol. Bob. ad Or. *in Clod. et Cur.* p. 331. Or. Cf. ibid. p. 340. de iudicibus ex iudicio divitibus.

ipsum superasset. Q. CICERO de iis exclamat (1): »quis enim reperiri potest tam improbus civis, qui velit uno suffragio duas in Remp. sicas distringere?"

Iam de diversa horum trium hominum petendi ratione verbo dicendum est. CATILINAE absoluto a iudicio tempus fere non fuit, ut homines sibi adiungeret; et sua potius audacia, iuvenum turba, militum studio, nobiliumque in novos odio, quam honesta ambitione et veris amicitiis nitebatur. Vide, quî anno seq. post repulsam petentem (2) delineaverit ipse CICERO (3): »videbant... CATILINAM interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, vallatum indicibus atque sicariis, inflatum.. spe militum,.. circumfluentem colonorum Arretinorum et Fesulanorum exercitu:.. vultus erat ipsius plenus furoris, oculi sceleris, sermo arrogantiae: sic ut ei iam exploratus et domi conditus Consulatus videretur:" cet. – ANTONIUS, cum per se homines suo nomine compellare non posset (4), tamen extra Romam per turpissimam legationem cauponas compilare maluit, quam adesse et populo supplicare (5). Municipales et rusticanos neuter horum noverat (6). – CICERO contra, omnes sibi gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putabat (7); in omni munere candidatorio summam adhibebat diligentiam (8), L. DOMITIUM AHENOBARBUM, principem in civitate virum, in quo uno praeter POMPEIUM et ATTICUM ipsius ambitio nitebatur (9), observabat quam maxime; et quoniam in suffragiis multum Gallia posse videbatur, legatione ad PISONEM excurrere voluit (10). CATILINAM, competi-

---

(1) *De Pet.* § 12. Cf. *in T. C.* p. 94. (2) Cf. Manut. ad h. l. Dionem refutans, qui non petiisse tradit. (3) *Pr. Mur.* 24. 49. (4) *De Pet.* § 28. (5) Ibid. § 8. (6) Ibid. § 31. (7) *Ad Att.* I. 1. 4. (8) Ibid. 2. (9) Ibid. 4. (10) Ibid. 2.

torem suum, defendere cogitavit, ut absolutum coniunctiorem sibi redderet in petitione (1); quod tamen, ut quidem ASCONIO videtur, non perfecit (2), comperta forte iam tum ipsius turpissima cum ANTONIO coitione, quam dein opprimere conatus, in eos summopere invectus est in Senatu, paucos ante comitiorum dies (3).

Certe talibus competitoribus et tam diversa petendi ratione, sine dubio melior fuit MARCO fortuna quam C. CAELIO CALDO (4), qui cum duobus hominibus petebat, quorum virtutes, ANTONII et CATILINAE vitiis plane oppositae, quam maxime eminebant. Et tamen hic, quamvis non mediocribus inimicitiis ac laboribus contenderit ut ad summos honores perveniret (5), superavit et una cum L. DOMITIO a. u. 660 factus est Consul. Nimirum ei ipsi, homini novo, dicendi laus, mediocris quidem, sed pro ipsius in Rep. dignitate satis conspicua, ad honores aditum patefecit (6). Non mirum igitur, CICERONEM quoque, Consulatum petentem, hanc insignem quam assecutus erat, oratoriam laudem, summopere adiuvisse. Haec enim plurimum habet dignitatis (7), »hac et tenentur Romae homines et alliciuntur, et ab impediendo ac laedendo repelluntur" (8). Neque ab ea laude tantum, sed ab ipsis quoque defensis dignitas atque auctoritas in dicentem redundant: »non potest, qui dignus habetur patronus consularium, indignus consulatu putari" (9). Hoc ipsum autem CICERONI saepius acciderat: Praetorem FONTEIUM Aedilis defenderat; dixerat pro CAECINA, claro homine ac forti viro (10); Praetor POMPEIO

---

(1) *Ad Att.* I. 2. (2) Ad or. *in T. C.* p. 86. (3) Asc. ibid. p. 83. (4) Quocum fratris tempora comparat Q. *de Pet.* § 11. (5) *Verr.* V. 70. 181, *p. Mur.* 8. 17. (6) *De orat.* I. 25. 117. *Brut.* 45. 165. (7) *De Pet.* § 2. (8) Ibid. § 55. Cf. *p. Mur.* 11. 24, *de off.* II. 19. 66. (9) *De Pet.* § 2. (10) *Ad fam.* VI. 9. 1.

consulari studuerat in suadenda lege Manilia; ipsius MANILII, Trib. Pl. fuerat patronus. Insuper autem omnes illae causae firmis amicitiis constituendis ansam praebebant; nec quidquam magis consentaneum, quam ut qui nullis impensis rem, salutem, laudem, fortunas omnes obtinuerint, in petitione gratiam referrent, cuius vix alia occasio inveniretur (1). Praesertim autem multum tribuit ipsi auctoritatis et amicitiae defensio L. CORVINI (2), M. FUNDANII (3), et Q. GALLII (4), apud quem Praetorem paulo ante pro C. CORNELIO, maiestatis reo, dixerat: viri omnes civium sodalitatum participes et ad ambitionem gratiosissimi (5). Eadem eloquentia ex iuventute optimum quemque et studiosissimum humanitatis, imo nobilium non paucos ad se alliciebat CICERO, quales erant M. CRASSUS, M. fil., M. CAELIUS, cet. Horum studia in suffragando, in obeundo, in nuntiando, in assectando mirifice et magna et honesta sunt (6).

---

(1) *De Pet.* § 4, 38. (2) L. Corvini. Sic omnes Codd. Lagom., praeter unum 50, qui, ut supra p. 6. dixi, editio Lambiniana esse videtur. Or. C. Orchivii (vel, ut in Onomast. Orcivii) praefert ex *p. Cluent.* 34. 94, 53. 147, Peyronem secutus, qui in fragm. ined. orat. p. 191, 194. ex monstris Corchium et Corchivi C. Orchivium restituit. Sed non video, quare hîc idem ille Praetor nominatus fuerit, atque ibi; nec Corvinus hic, nepos forte consularium virorum qui a Cic. nominantur *Philipp.* V. 17, 48, itidem gratiosissimus in sodalitatibus esse potuerit. Cod. Erfurt. tamen habet Chorcivii. (3) L. 48, 49. habent C. Fundanii, ut etiam Erf., quare ita legendum censeo. C. Fundanius fuit Ciceronis amicus. Cf. *ad Quint.* I. 2. 10. (4) De tempore quo Gallium defenderit, non concinere videtur Quinto Asconius: nam ut praeter omne dubium est, quin Q. hanc epist. scripserit, ante habitam orat. *in Tog. cand.*, sic male Asc. dicit Ciceronem *postea* Q. Gallium defendisse, ambitus reum; nam antea fecisse ex hoc l. apparet, scil. cum designatus erat Gallius, nec adhuc magistratum inierat. Praetor autem fuit a. u. 688. (5) *De Pet.* § 19, 51. (6) *De. Pet.* § 3, 6, 33.

Praeter eloquentiam firmum quoque praesidium CICERO habuit in ordine equestri (1). Hi enim equites (illa iustissima erat utriusque fratris spes) ex suo ordine candidatum, unicum ex septem Consulatus competitoribus (2), quamvis novum, non facile auxilio suo vacuum relinquerent; quoniam in eo ipsorum causa agebatur; et summopere erat cavendum, ne ordinis auctoritas, lege Aurelia restituta, OTHONIS lege gratiâ aucta, canditati repulsa infirmaretur. Ex ipsis equitibus publicani minime contemnendi erant: »qui ordo" inquit M. (3) »quanto adiumento sit in honore, quis nescit. Flos enim equitum Rom., ornamentum civitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur." Etiam hi summopere erant CICERONIS causae addicti (4). Nec minus ei municipia auxilio fuerunt: plurima ipsi favebant (5); omnia illa quae sunt Vibone Brundisium in CICERONIS erant fide (6); praesertim autem Atinas »non assueta mendaciis" (7), et Arpinum, in quo natus erat, eius semper causam amplexa sunt; - et erant Arpinates prae ceteris suorum studiosi; nec sine dubio minori gratia et animi voluntate municipi suo suffragati sunt, quam eum et ceteros ibi natos clarissimos viros summo ardore et voluptate coram visitantibus celebrarunt (8). Denique, ut de collegiis, vicinis, tribulibus, et ibi gratiosis hominibus, CICERONI faventibus, ab eoque in amicitia magis etiam confirmandis (9), hîc taceamus, populi studium omittere haud decet. Eaedem, ut fas

---

(1) *De Pet.* § 3, 33. *Ep. ad Quint.* I. 1. 32. (2) *Pr. Planc.* 6. 18. Asc. *in T. C.*, Plut. *Vit. Cic.* p. 866. Xyl. (3) *Pr. Planc.* 9. 23. Add. *p. Sext.* 14. 32. (4) *De Pet.* § 3, 50. *Ep. ad Quint.* I. 1. 35. (5) *De Pet.* § 3. (6) *Pr. Planc.* 41. 97. (7) Ibid. 9. 22 (8) Ibid. 8. 20. (9) *De Pet.* § 3, 24, 30, 50.

est, causae, ob quas nobilibus exosus erat M., populi voluntatem ei conciliarunt. Illis persuadendum erat, se minime esse popularem; hic strenuo libertatis vindici, et plebis commoda acriter defendenti acclamabat (1): illi POMPEII studioso perniciem taciti minabantur, insidiabantur, eumque exsecrabantur; populus POMPEII blanditiis demulsus, militari laude excitatus, in eum omnes honores cumulabat, ipsius causam publice amplexo CICERONI admodum adhaerebat (2). Superbi imaginibus et honoribus novum hominem, municipem, aspernabantur, et dedecori habebant; urbana multitudo, quamvis saepius novorum fuco decepta (3), semper tamen a novis auctoritatem ac beneficia, nobilium sperabat cladem.

At haec omnia tamen Consulatum CICERONI non parassent, nisi id factum esset, quod mox memorabimus. - Fuit certe dein summa CICERONIS gloriola et arrogantia, dicentis, se filio suo honorum aditus numquam faciliores optasse quam ipsi fuerant (4). Tantis enim praesidiis summa obstabant impedimenta: praeterquam enim quod »fraudis atque insidiarum et perfidiae plena sunt omnia" (5), et vel sine causa non amantes, vel competitorum amici, ut ipsum fallerent, comitatem, voluntatem et innocentiam simulabant; praeter haec omnia, multi erant illi irati, quos accusaverat, ut VERREM; quos ludibrio habuerat, ut antea CHRYSOGONUM, dein CAESENNIUM, aliosque multos; quos defensionem denegando laeserat, ut CAECILIUM (6); contra quos pro amico dixerat, ut AEBUTIUM, OPPIANICUM, cet.; tandem ipsius in dicendo aemuli, ut HORTENSIUS. Erant quoque non pauci, qui vel tali homini tantam auctorita-

(1) Ibid. § 53. (2) Ibid. § 5, 14, 51. (3) Ibid. § 14. (4) *Pr. Planc.* 24. 59. (5) *De P.* § 39. (6) *Ad Att.* I. 1. 3.

tem invidebant (1), vel sibi potius concupiscebant. Denique ne morum, sermonum, et voluntatum varietatem Romanam, ne corruptam largitione civitatem, ne competitorum ambitionem et coitionem memorem; quanto eum odio nobiles prosequebantur! Id nec QUINTUS, nec ipse CICERO dissimulavit; adeo ut summo iure ad ATTICUM hic scripserit (2): »Tuo adventu nobis opus est maturo, nam prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, adversarios honori nostro fore." – Fuerunt adversarii, fuerunt refragatores, fuerunt qui faverent turpissimis ipsius competitoribus; nec ullum dubium est, quin una cum ANTONIO, imo primus, CATILINA quoque optato fuisset potitus, nisi ANTONIO propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset (3); et de coniuratione FULVIA compluribus narravisset. »Ea res in primis studia hominum accendit, ad Consulatum mandandum M. TULLIO CICERONI. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat:.. sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia postfuere" (4).

---

(1) *De Pet.* § 13. De his ipse Cicero saepe loquitur, v. c. *p. Planc.* 1. 1. (2) I. 2. Cf. Asc. *in T. C.* p. 83. (3) Asc. *in T. C.* p. 95. (4) Sall. *Cat.* 23. Add. id. *Iug.* 63, Cic. *p. Mur.* 25. 50.

SECTIO ALTERA.

ADNOTATIO ANTIQUARIA.

CAPUT PRIMUM.

DE AMBITIONE.

Historicam huius opusculi praestantiam animadvertendi habuimus occasionem; at non minus ob antiquitatis Romanae quae inde hauriri potest cognitionem sese commendat libellus. Praeter alia enim animadversione dignissima quae vel unus hic liber nobis refert, vel quo insigniter aliorum auctorum confirmantur traditiones, perfectam nobis effingit verae ambitionis imaginem; ostenditque, quibus artibus et machinationibus honestissimi quoque et innocentissimi in civitate viri, tunc temporis, honorum petitionem adstruxerint. Quare operae pretium erit, de ipsa illa ambitione nonnulla hîc disserere, hanc epistolam tum aliis aliorum copiis illustrantes, tum vero rem ipsam, QUINTO duce, explanantes.

Quum olim non nisi virtutes, merita in civitatem, egregius ardor atque dignitas, honorum culmen, summum in civitate locum (1), Consulatum, alicui parare solerent,

(1) *De Pet.* § 14.

tandem usu venit, ut ille honor, (uti etiam reliqui magistratus) non amplius *rogaretur* (1), at a populo ut beneficium *peteretur;* hinc *petitio* Consulatus, imo nude *petitio* (2) dicebatur illa honoris sive dignitatis contentio (3): et quia petentes forum et homines *ambibant*, inde *ambitio* dicta est vel *ambitus honoris*, a circumeundo et supplicando (4). Dein inter has quoque voces, quae tamen interdum confunduntur (5), distingui coepit; adeo ut *ambitio* honesta magis duceretur honorum petitio (6), *ambitus* vero crimen affectati honoris (7): »ambitus iudicium" inquit ISIDORUS (8), »in eum est, qui largitione honorem capit et ambit; amissurus dignitatem, quam munere invadit." Ipsa autem ambitio licita quidem fuit: »neque vero tam durus in plebem noster ordo fuit" dicit CICERO (9) »ut eam coli nostra modica liberalitate noluerit:.. haec enim plena sunt officii, plena observantiae, plena etiam antiquitatis." Et de huius voc. signif. adnotans Schol. Bobiensis (10) »ambitiosum dicit, demisse et officiosa quadam veneratione blandissimum. Ambitio est enim favoris alicuius supplex et cum lenocinio humilitatis adfectatio gratiosa."

Petentes autem togam induebant (11) albam, vel potius, ut dicebatur, candidam (12) (unde ipsi *candidati*), cui

---

(1) *Philipp.* II. 30. 76. (2) *De Pet.* passim, *ad Fam.* XIII. 10, *ad Att.* I. 1. 1, *p. Planc.* 18. 45. (3) *Pr. Mur.* 4. 8, 5. 11, *de off.* I. 25. 87. (4) Valer. Max. IV. 5. 4. Paul. Diac. *excerpt. ex Festo, de sign. verb.* Ed. Lindemanni, *Gramm. Latin.* T. II. p. 5, 24. (5) *Pr. Sulla* I. 1. (6) *De Pet.* § 19, 32. Senec. *de Tranq.*, 15. (7) *Ad Quint.* II. 5. Lucan. *Phars.* I. 179. Paul. Diac. Ed. l. p. 5. (8) *Orig.* V. 26. 21. (9) *Pr. Planc.* 18. 45. (10) Ad Cic. *p. Flacc.* 18. (11) Plut. *quaest. Rom.* p. 276. Xyl., Isidor. *Orig.* XIX. 24. 5. Cf. Gruchius, *de com. Rom.* in Graev. *Thes.* T. I. p. 567, sq. (12) De diff. v. *albus* et *candidus* cf. Isid. XII. 1. 51.

olim, ut magis etiam splenderent, cretam addebant; quod ipsum prima, de qua constat, ambitus lege vetitum est: sed LIVII aetate vix serio id agi potuisse, ipse testatur (1); unde tamen dictiones quaedam in usu manserunt; ut *ambitio cretata* apud PERSIUM (2). Ipse CICERO obsoletam hanc ambitus legem spectare videtur in Planciana (3), LATERENSEM alloquens: »admonuisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse:" quasi diceret: ambitus suspicionem iucunde movere in te potuissem, si tuum in Cretam iter memoravissem." – Hinc Grammatici togam candidam non sine creta cogitant, ut ISIDORUS (4): »toga candida eademque cretata, in qua candidati i. e. magistratum petentes ambibant, addita creta, quo candidior insigniorque esset." Et indocte Schol. Ambrosianus (5), quod de toga constat ad ipsam cervicem transfert, dicendo: »et solebant omnes candidati alba creta obliniri cervicem, ut populo notabiliores essent."

Antequam vero candidati nomen suum profiterentur (6), et ipsam petitionem, paucorum mensium negotium (7), aggrederentur, iam annum plerumque ante comitia consularia (8), interdum maturius etiam (9), *prensabant;* quod in prehendendis singulorum, vilium etiam interdum hominum, manibus constabat, tamquam familiarium (10).

---

(1) Liv. IV. 25. »*album in vestimentum* adderent," male Gruchius »*album investimentum*" legit; nec verborum sententiam cepit. (2) V. 177. (3) 34. 85. (4) *Orig.* 19. 24. 6. (5) Ad Cic. *p. Planc.* l. mox l. (6) Vell. Paterc. II. 92. 3. Brisson. *de formul.* II. 12. p. 125. (7) *De Pet.* § 1. (8) Ut Cicero *ad Att.* I. 1, qui XVI. Kal. Sext. prensandi initium facere volebat, cum mense Quinctili plerumque haberentur comitia. (9) Ut Galba, qui tum iam prensabat. l. l. *ad Att.* Cf. etiam Macrob. *Sat.* 1. 16. (10) Alex. *genit. dier.* IV. 3. init., Schott. *nod. Cic.* IV. 1.

Ille scil. mos iam Regum et Decemvirorum tempore cognitus erat (1): verum olim haec prensatio ipsis demum nundinis fiebat, quae magistratuum comitia praecedebant, propter rusticae plebis frequentiam; tandem internundino quoque (2); et sic denique ambitionis pars, imo praecursor facta est. Manifesto autem haec prensatio reliquo petitionis tempore in ipsa nomenclatione et appellatione erat comprehensa (3), quare Q., qui ad petentem iam fratrem scripsit (4), nullam eius singularem facit mentionem.

Iam in petendi illa ratione describenda, ut CICERONUM tempore honeste fieri poterat, QUINTI insequamur vestigia, qui in duas maiores partes eam dividit: »in duarum" ut ait »rationum diligentiam: quarum altera in amicorum studiis, altera in populi voluntate ponenda est" (5).

Amicorum autem nomen hic multo latius patet, quam in omni reliqua vita: »quisquis enim" inquit Q. »qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus" (6). Primo tamen semper loco in amicorum serie veniunt, qui ex causa aliqua iustiore, nostrum propria, nobis coniuncti sunt: ut sunt cognati atque affines, sodales, atque necessitudine iuncti (7). Minime potest esse obscurum, quanto studio hi, qui candidatum maxime diligant, quique in ipsius gloria ipsam generis dignitatem auctam fore sperent, ei suffragentur (8). Tum ii, quibuscum in eodem collegio est, sacrorum vel licitae negotiationis sodales (9): tandem variae illae necessitudinis causae, ut contuber-

---

(1) Liv. I. 47, III. 35. (2) Macrob. l. l. (3) Cf. Ern. in v. (4) Cf. supra, p. 19. (5) *De Pet.* § 16. (6) Ibid. (7) Ibid. Add. *p. Mur.* 3. 7. ibique Camerar. (8) *Pr. Planc.* 11. 27, 12. 29. (9) Sic vox *sodalitas* hic explicanda. Cf. Palerm. Add. *de Senect.* 13.

nii (1), eruditionis (2), magistratus (3), beneficiorum et gratiae (4), ipsius denique affinitatis (5). »Deinde ut quisque est intimus ac maxime domesticus, ut is amet, et quam amplissimum esse te cupiat." Hos tum petitor allicere debet, tum vero eorum rem atque causam propugnare, neque ab iis deficere (6). Iam, ut ordine rem agamus, ii sequuntur, quibuscum in una tribu censentur candidati, tribules: quorum in petitione studium excitare eo in primis tempore valde in usu erat (7), adeo ut VATINIO primo obvenisse notet CICERO, quod tribuli suo Sergia tribus suffragia recusasset (8). Municipiorum autem studium in suos municipes eleganter in Planciana describitur (9): neque enim illud solum, unde ortus sit, sed vicina quoque municipia candidati petitionem suffragio suo fulciebant (10); hinc vicinitates illae semper summa laude celebrantur (11): quamvis autem aliae aliis hac in re acriores fuerint, tamen graviter tulerunt a SERVIO SULPICIO id esse pugnatum, ut omnes illi et dignitatis et gratiae gradus tollerentur (12). Cum vicinis et tribulibus pari passu ambulant clientes; et eodem cum his ordine memorantur (13); qui hic non intelligendi sunt illi a causarum patrono defensi, a quibus ut gratiam referrent peti atque posci potuerit (14), sed qui quocumque beneficio coniuncti, quacumque tandem ratione a patrono suo et fautore pendebant (15). Tandem ipsorum libertorum, imo servorum,

---

(1) *Pr. Planc.* 11. 27. (2) *Pr. Ligar.* 7. 21. (3) *In Caecil.* 19. 61. (4) *Pr. Planc.* 10. 25. (5) *Pr. Ligar.* l. l. *p. Planc.* 11. 27. (6) *De Pet.* § 16, 45, 49. (7) Ibid. § 18. (8) *In Vatin.* 15. 36. ibique Schol. Bob. p. 323. Add. *p. Planc.* 17. 43, 18. 44, sq. (9) 8. 19, sqq. (10) *De Pet.* § 17. (11) *Pr. Planc.* l. l. et 10. 30, 30. 72. (12) *Pr. Mur.* 23. 47. (13) *Pr. Mur.* 33. 69. *de Pet.* § 17. (14) *De Pet.* § 3, 4, 21. (15) Cf. Niebühr *Röm. Gesch.* T. I. p. 339, 346.

non parva ratio erat habenda: qui quamvis suffragari non poterant, quum tenuiorum illa suffragatio valeat nihil (1), tamen erant observandi, quia omnis fere sermo ad forensem famam ex domesticis emanat auctoribus (2).

Sed praeter hos omnes proprios magis amicos, qui variis et sua quisque ratione candidati fulciunt petitionem, nonnulli etiam alii erant, quorum auctoritas usu venire poterat. Huc pertinet conciliatio virorum illustrium honore ac nomine, non quidem ut suffragandi studia naveent, sed qui dignitatis aliquid afferant petitori (3). Talis *commendatio* a viro in civitate summo, praesertim a consulari, multum in petitione valet. Vide qui ipse CICERO suum in PLANCIUM studium memoret (4): »aliquid praeterea (timide dico, sed tamen dicendum est:) non enim opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos." Imo huius in causa plus fecit, quam ceteroquin tales ad speciem, ut dicuntur (5), instituti amici facere solebant. Tributim enim populum appellavit (6), submisit se et supplicavit; quod quum in omni alia re talium hominum dignitas non pateretur, in singulari causa fecit CICERO, ut antea Consul Q. METELLUS CALIDIO supplicaverat (7). Sed non dignitatis tantum causa viri auctoritate pollentes comparandi sunt amici, sunt magistratuum quoque nonnullorum amicitiae conciliandae, ut in comitiis certus sis, omnia iure et le-

---

(1) *Pr. Mur.* 33. 71. (2) *De Pet.* § 17. (3) Ibid. § 4, 5, 17. (4) *Pr. Planc.* 10. 24. (5) *De Pet.* § 17. (6) *Pr. Planc.* l. l.: vox *tributim* cum *appellavi populum* est coniungenda: ut in praestantissimo comment. docet Wunder. ad h. l.: et recte, nam *tributim se submittere* ambitus suspicionem moveret. (7) *Pr. Planc.* 29. 69.

gitime peracta fore: quique si vel fraus fieret, vel vis et turbae moverentur, aut quod praesint comitiis, ut Consules, aut quod intercedere possint, ut Tribuni plebis, dimovere possent nefarios comitiave differre (1).

At non sufficit, a nostris tantum familiaribus et amicis commendari, in nostra tantum tribu suffragia, quamvis omnia, ferre; opera praeterea est danda, ut in omnibus aliis centuriis nobis amicos comparemus, qui eos sibi nobisque possint devincire: hi duplicis generis sunt: vel enim gratia iam pollent apud suam quisque tribum, experti rem in propriis petionibus; vel sunt qui in aliqua tribus suae parte vel valeant vel valere possint. Hos coniunctos Q. hoc loco enumerat: »Ita quum et hos ipsos (2), propter suam ambitionem qui apud tribules suos plurimum gratia possunt, tui studiosos in centuriis habebis, et ceteros qui apud aliquam partem tribulium propter municipii aut vicinitatis aut collegii rationem valent, cupidos tui constitueris, in optima spe esse debebis" (3). Quibus verbis ad duos e praecedentibus locos respicit: postremis quidem ad hunc: »sunt enim quidam homines in suis vicinitatibus et municipiis gratiosi: sunt diligentes et copiosi, qui etiamsi antea non studuerint huic gratiae, tamen ex tempore elaborare, eius causa cui debent aut

---

(1) Sic, duce Palermo, explic. § 18: »*ad ius obtinendum, magistratus*": quos vidi codices omnes habent *ad iusticiam* vel *iustitiam*, excepto L. 50, quem Lambinianam Edit. esse videri notavimus. Sed iam Petreius legendum coniecerat: *ad ius suum obtinendum*. (2) Sic distinguendum credo, post *ipsos*, non post *ambitionem*, ut facit Orell., verba *propter suam ambitionem* ad *gratia possunt* pertinent: eo ipso multum gratia poterant, quod fuerant ambitiosi; atque ita tribules suos sibi conciliaverant. Cf. § 18, ubi de iisdem, ut mox patebit, sermo est. (3) *De Pet.* § 32.

volunt, facile possunt:" - prioribus autem ad alium, qui sic sese habet, locum: »ad conficiendum (1) centurias homines excellenti gratia. Qui abs te tribum aut centuriam aut aliquod beneficium aut habent aut habere sperent, eos prorsus magno opere et compara et confirma. Nam per hos annos homines ambitiosi vehementer omni studio atque opera elaborarunt, ut possent a tribulibus suis ea quae peterent impetrare. Hos tu homines quibuscumque poteris rationibus, ut ex animo atque ex illa summa voluntate tui studiosi sint, elaborato." De sententia huius loci ex ipso illo praecedenti l. debet constare; dicit: ad conficiendum centurias, id est ad conciliandas, comparandas centurias (2), adhibendi sunt homines illi ambitiosi, qui eo ipso, quod honores petiverint, tribum quisque suam sibi conciliaverunt, in sua tribu plurimum possunt, excellenti gratia sunt. Tales autem multi sunt: nam his annis invaluit, ut in primis a tribulibus suis honores sibi conferri studuerint. Ex his eos, qui aliqua ratione tibi devincti sunt, accepto beneficio vel spe beneficii accipiendi, tibi compara. Liquet iam, illa verba *ad conficiendum* usque ad *compara et confirma*, unam esse sententiam, sed quae prava interpunctione et insigni corruptela discerpta est. Offendunt in illis verbis: *qui abs te tribum aut centuriam*... habeant: - nam quid haec sibi volunt? Sermo est, ut ex seqq. apparet (quae et per v. *nam*, et repetito *homines* cum praeced. iunguntur), de iis, qui *suam sibi tribum* comparaverint, id est: eam in qua censentur (3); et hac gratia sua uti velint. Hic

(1) *Conficiendum* habent omnes Lagom. et cod. Leid.; probat eam lect. Orell. (2) De hac sign. v. *conficere centurias*, quae etiam in *Planc.* 18. 45, et *ad fam.* II. 16. occurrit, vid. Wunder. in Comm. ad l. l. or. *p. Planc.* (3) Cf. *p. Planc.* 15. 37.

igitur agi non potest de accipienda tribu aut centuria quacunque alia: hoc enim eo tantum casu obtinet, cum aliquis candidatus competitori suo aliqua tribu, de cuius suffragio certus est, cesserit (1); quodque igitur non nisi inter competitores obtinet (2), et omnino distinctum ab eo quod in Planciana (3) dicitur: »ne conficere necessariis suis suam tribum possint; ne par ab iis munus in sua petitione respectent." Ibi enim tantum agitur de conciliandā alicui sua tribu, in qua quis censetur, et multum valet: igitur de eadem re ibi agitur, de qua hîc sermo esse debet, scil. de accipiendis ambitiosorum tribubus a CICERONE; non vero de CICERONIS tribu, aut alia quadam per eum, accipienda: - sed hoc non dicitur *centuriam ab aliquo habere*, ut hîc: nam *tribus* tantum conciliabantur, et iis *tribubus* hac ratione plurimis conciliatis conficiebantur, comparabantur *centuriae*. Verba igitur *qui abs te tribum aut centuriam*.. habeant, et per se sunt improbanda, et hîc sententiae plane contraria: quare non dubium est, quin iis mendum subsit. Plerique codices habent: *ad conficiendum centurias qui tribuent* (v. *tribuunt*) *centuriam aut* (v. *ut*) *aliquod abs te* (v. *ex te*) *benef.* cet., vel *qui abs te tribuniciam aut centuriam aut aliquod benef.* cet. - In quibus omnibus id mirum accidit, quod verba *abs te* in his initio sententiae, in illis media sententia demum inveniantur. Nimirum verba *aut tribuent centuriam* adnotatoris esse credo, qui illud *conficere centurias* voluerit explicare: dein variis modis in textum irrepserunt; et monstra illa *tribuniciam aut cen-*

(1) Et si hoc voluisset Cicero, scripsisset *centuriam habuerint*, non *habeant*: erat enim, per petitionis tantum tempus, non vero ut eam semper sibi tenerent. (2) Cf. *p. Planc.* 22. 53, sq., Gruchius, *de comit. Rom.* L. I. p. 622, sq. Thes. Graev. (3) 18. 45.

turiam, unde tandem correctores *tribum aut centuriam* confecerunt, exorta sunt. Hinc toties illud repetitum *aut*, quod aures iam offenderat (1), exstitit; et hinc quoque incerta verborum *abs te* collocatio, cuius aliam rationem non facile inveneris: credo igitur, sic scriptum fuisse:

> *aut. tribuent centuriam*
> *ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia, qui aliquod abs te beneficium aut habeant aut ut habeant* (2) *sperent; eos* cet.

Praeter illos autem quos iam nominaverat Q. ambitiosos, in suis tribubus validos, quum tamen, quantum posset, omnes centuriae multis et variis amicitiis essent confirmandae, multi erant excitandi, qui hoc centuriarum candidato conficiendarum consilium et studium haberent. In iis autem cum propter summum in civitate locum, senatores, propter divitias, et ob singulares suas centurias, equites plurimum possent, ipsorum in primis ratio erat habenda (3). Senatores autem, homines nobiles vel honoribus in civitate functos, sibi conciliare per quam erat difficile: praesertim, si non natalibus atque parentum imaginibus, sed suis demum curulibus magistratibus ge-

(1) Quamvis enim aliquoties occurrat illa huius voc. crebra repetitio, ut *de orat.* I. 9. 35. »ne aut de C. Laelii, soceri mei aut de huius, generi, aut arte aut gloria detraham:'' tamen hoc loco offendunt illa *aut*, quia non bene sibi respondent: nam si scriptum fuisset: *qui abs te* aut *tribum* vel *centuriam*, *aut aliquod beneficium*, *aut h. aut h. s.*, recte sibi opponerentur, nunc partic. disiunct. inter *tribum* et *centuriam* difficile respondere potest alternativae, ante *beneficium*. (2) Haec constans quos vidi codd. lectio, nisi quod pro priori *habeant* nonnulli *habent* aut *haberent* legunt; et unus Erfurdt. omitt. *aut habeant:* unde quî Orell. *aut habere sperent* probaverit non video: quamvis adnot.: *Sic Cd. Turnebi. Lall.* (3) *De Pet.* § 29.

stis, ad eorum ordinem aditus pateret candidato; eo magis, si competitoribus natura hac in re magis faverat: erant enim vel invidi, vel qui nimiam innocentis et probi viri auctoritatem timerent, vel aliqua necessitudine competitoribus iuncti (1). At eo magis omni arte atque ambitione eorum suffragium erat efflagitandum.

Equitum autem centuriae aliquanto facilius acquiri poterant, ab eo praesertim, qui ex ipsorum esset ordine: quum enim numero non valde multi essent, facilè poterant cognosci, et quum adolescentes praesertim suum in suffragendo studium ponerent, haec ipsa aetas, ad amicitiam pronior, commodius ad suscipiendas candidati partes commovebatur; modo non ordinis tantum voluntate, sed singulorum, municipalium (2) quoque, amicitiis, harum centuriarum voluntatem acquirendam, et petitionem nitentem duxerit (3). Quantum autem horum equitum voluntas, praesertim publicanorum (4), valuerit, tum ob honestatem ordinis, tum vero ob centuriarum vim, obscurum esse non potest: et inde etiam patet, quod in accusando MURAENA, SER. SULPICIUS de his unice egerit; cui singulari loco respondit CICERO (5).

At reliquarum quoque centuriarum favor erat captandus, tam urbanarum quam rusticarum. Harum omnium autem studium praesertim pendebat ab amicitia eorum comparanda, qui in illis erant gratiosi. Ut erant in urbe multi homines industrii, multi libertini etiam in foro gratiosi: hi valde erant appetendi et alliciendi tam ab ipso candidato quam ab eius amicis; laudandis eorum

---

(1) Ibid. § 2, 6, 16. (2) *Pr. Planc.* 8. 22. (3) *De Pet.* § 33. (4) *Pr. Planc.* 9. 23, sq., *p. l. Manil.* 7-17. (5) *Pr. Mur.* 26. 54.

beneficiis, iisque summopere efferendis (1). Tum collegia omnia, tam opificum quam religiosa, aut negociationis sodalitates; in quibus multae erant, quae tum ipsae, tum propter eos, qui illis intererant, gratiosissimae erant ad ambitionem (2). Pagi quoque et urbis vicinitates minime negligendi (3), tam propter urbem ipsam, in cuius tribubus suffragia ferebant, quam quia proxime sunt rusticis illis centuriis et municipiis: nam nullum neque municipium, neque colonia, neque praefectura Italiae sine aliquo esse debet in petitione firmamento. Rursus per principes ex iis viros, et in suis vicinitatibus et municipiis gratiosos (4) haec res agetur; qui hanc dignitatis et gratiae copiam lubentes in alicuius petitoris causam adhibent (5). Illi autem homines municipales et rusticani et facile se amicos esse arbitrantur, et si quid praesidii se constituere putant, non omittunt promerendi occasionem: sunt hi igitur ex omni regione investigandi, appetendi et confirmandi, ut in suis vicinitatibus ipsi petentis causa quasi candidati sint (6).

Ecce amicos varios, quorum operâ, honeste quamvis iam adulanter excitatâ, centuriarum ipsarum suffragia erant comparanda. Sed alia quoque erant cuncti ordinis amicorum, adolescentulorum praesertim, in petentem officia, quae uno assectationis verbo comprehenduntur, et cuius ut tres erant species, sic diversae singulorum in iis erant partes (7). Primas agunt salutatores; quorum alii in forum vel campum descendenti obviam ibant (8), alii domum veniunt (9): hi autem erant magis vulgares secta-

---

(1) *De Pet.* § 29. (2) Ibid. § 3, 19, 30. (3) *De Pet.* § 30.
(4) Ibid. § 24. (5) *Pr. Mur.* 23. 47. (6) *De Pet.* § 31.
(7) Ibid. § 33, sq. (8) *Pr. Mur.* 33. 68, sq. (9) *De Pet.* § 35.

tores, et CICERONIS tempore cum plures veniebant, tum pluribus interdum competitoribus iidem assectabantur, ut quem maxime haec officia animadvertere viderent, ei se dederent (1). Altera est deductorum assectatio, quae erat gratiosissima, et plurimum afferebat dignitatis, praesertim si frequentes, et ex summo essent in civitate ordine (2); atque, causarum patronum candidatum, multi ab eo defensi et iudiciis liberati comitarentur (3). Fiebat autem illa deductio certis temporibus, et insigni gratia (4). Tertia est eorum, qui prae ceteris sectatores vel assectatores dicuntur; eratque assidua magis officiositas multitudinis, praesertim tenuiorum hominum: nam erant vel voluntarii, vel nonnulli qui hoc facere debebant, muneribus et beneficiis adiuncti; honestiores autem, atque aetate iam maiores, necessarios suos in hoc munere constituebant (5). Haec Q.; quibuscum fratris verba tam mirifice concinunt in orat. pro MURAENA (6), ut hunc QUINTI locum oculis propositum habuisse videatur. Cum enim accusator dixisset, quid opus esset sectatoribus? »A me tu id quaeris" inquit »quid opus sit eo quo semper usi sumus? Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus Romanis, ut suos necessarios candidatos *sectentur* totos dies: a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur et coli: tenuiorum et non occupatorum amicorum est ista assiduitas, quorum

---

(1) Ibid. (2) *De orat.* I. 56. 239, *ad Att.* I. 17. (3) *De Pet.* § 38. (4) Ibid. § 35. (5) Ibid. § 37. (6) 34. 70.

copia bonis et beneficis deësse non solet.” Assectatio igitur universa quum nitatur variis ac multis amicorum studiis, a QUINTO ad hanc partem ambitionis refertur: ceterum, ut ipse testatur his verbis: »nam ex ea ipsa copia coniectura fieri potest, quantum sis in ipso campo virium ac facultatis habiturus;” his ipsis, inquam, verbis testatur, magis ut populo magna de candidati spe atque dignitate nascatur opinio, eam inservire: hinc cum populari illa ratione, quae altera est ambitionis pars, arcte coniuncta est; et ei adnectitur ab ipso MARCO (1): »petitorem ego, praesertim Consulatus, magna spe, magno animo, magnis copiis in forum et in campum *deduci* volo: non placet mihi inquisitio candidati, praenuntia repulsae: non testium potius quam *suffragatorum* comparatio: non minae magis quam *blanditiae:* non declamatio potius quam *persalutatio:*” cet. Etenim popularis illa ratio in eo tota versatur: »ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem in Rep.” (2).

Plurimae sunt in candidato virtutes, quae ipsi aditum ad honores multo reddunt faciliorem: quae populo, quae universae placent civitati (3): ut sunt, iustitia, fides, pudor, temperantia (4), ut dignitas generis, integritatis, industriae (5): imprimis autem eae qua splendent magis et elucent, laus militaris atque eloquentiae (6): »Summa dignitas est in iis qui militari laude antecellunt; omnia enim, quae sunt in imperio, et in statu civitatis, ab iis defendi et firmari putantur: summa etiam utilitas; si quidem eorum consilio et periculo, quum re publ., tum etiam

---

(1) *Pr. Mur.* 21. 44. (2) *De Pet.* § 41. (3) *De off.* II. 10. 36. (4) *Pr. Mur.* 20. 41. (5) *Pr. Planc.* 3. 7, *p. Mur.* 7. 15, 10. 23. (6) Ibid. 11. 24. Cf. *de off.* II. 14. 48.

nostris rebus perfrui possumus. Gravis etiam illa est et plena dignitatis, dicendi facultas, quae saepe valuit in Consule deligendo, posse consilio et oratione, et Senatus, et populi, et eorum qui res iudicant, mentes permovere." Haec CICERONIS pro MURAENA verba non potui non hic inserere, quoniam fratris testimonio insigniter confirmantur (1). His enim omnibus bona spes Reip. de candidato confirmatur, ut Senatus eum existimet defensorem auctoritatis suae fore; equites et viri boni, studiosum rerum tranquillarum, multitudo a suis commodis non alienum, augurentur (2).

At isti multitudini ne haec quidem sufficiunt: videre debet amicorum et assectatorum copiam, audire de studiis nobilium et equitum; intercipere de candidati laudibus sermonem. De illo rumore haec CICERO: »dies intermissus unus, aut nox interposita saepe perturbat omnia... Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum" (3).

Unica est ratio qua illam multitudinis inconstantiam regere possis: scil. diligenter expetendo, indefesse supplicando: populus enim »movetur plerumque gratia, cedit precibus; facit eos, a quibus maxime est ambitus" (4): verbo, et assiduus sit canditatus et gratiosus: - assiduus; semper esse Romae, non expetere provincias; quae quamvis interdum gratiosae sint, tamen in civitate, ut in oblivione hominum sit, efficiunt (5): nec metuenda est illa assiduitatis satietas, quam causae atque amici gratia CICERO refert (6): »prodest quidem vehementer" inquit Q. (7) »nus-

(1) *De Pet.* § 55. (2) Ibid. § 53. (3) *Pr. Mur.* 17. 35, sq. (4) *Pr. Planc.* 4. 9, 11. (5) *Pr. Mur.* 8. 18, *p. Planc.* 26. 65. (6) *Pr. Mur.* 9. 21, sq. (7) *De Pet.* § 43.

quam discedere, sed... esse Romae atque in foro, assiduc petere, saepe eosdem appellare: et, ut in Planciana de se MARCUS testatur (1): »feci, ut quotidie me praesentem viderent; habitavi in oculis; pressi forum; neminem a congressu meo, neque ianitor meus, neque somnus absterruit." - Gratiosum ISIDORUS dicit, qui plus alicui tribuit, quam meretur (2). Eo autem magis necessaria est gratia illa, quo plures homines ea potest attingere; nam benignitas non late patere potest: semper enim plures sunt, qui petant aliquid, quam quibus possit tribui: convivia, vel dona a candidato eiusve amicis non nisi tributim et his vel illis dari possunt: sed in ipsa opera danda aut promittenda, inque ipsa neganda, plus ab oratione et fronte interdum, quam ab ipso beneficio dato vel negato pendet (3): hinc vultus ac frons, quae est animi ianua, semper pateat omnibus: hilaris sit adspectus atque sermo; et praeterea commutandus et accommodandus ad sensum et voluntatem eorum quoscunque convenerit (4): nam comitas illa quae bono ac suavi homine digna est, in ambitione non sufficit; blanditia opus est, vitiosa et turpi in cetera vita (5), sed in petitione necessaria: tum quemcunque nomine suo compellare, quo insigne studium et assiduitas requiritur, eumque amicum et gratiosum tuique cupidum vocare (6); omnium domos salutandi causa obire (7); - haec sunt, quae in populari candidato flagitantur.

At simul isti sunt honestam inter ambitionem et turpem ambitum fines: laxati iam sunt admodum, sed hîc tamen exstant. Simulac candidatus, ut nomina noscere videa-

(1) 27. 66. (2) *Orig.* 10. 113. (3) *De Pet.* § 44-49. Cf. omnino *de off.* II. 15. 52, sqq. (4) Ibid. § 42, 44. (5) *De amic.* 16. 57. (6) *De Pet.* § 32, 41. (7) *Pr. Mur.* 21. 44. De persalutatione cf. Fest. Ed. Lind. T. II. p. 192.

tur, utitur nomenclatoribus; ut pompam augeat, conducit sectatores; ut beneficus censeatur, prandia et congiaria; ut liberalis, ludos et munera; ut gratiosus, distincta in spectaculis loca tribuit; ut centurias sibi vindicet, largitione, divisoribus, sequestribus, interpretibus; ad vim sodalitiis; ad competitoris consensum, coïtione se munit; - omnes ei ambitus leges inhiant: et non nisi strenuus causarum patronus, corruptive iudices, armatique servi, a mulcta, a rei familiaris interitu, a poenis, ab exilio vindicabunt.

CAPUT ALTERUM.

DE AMBITU.

Quî tandem factum fuerit, ut tam parva in verbi terminatione discrepantia tantam in verborum significatione attulerit differentiam, quantum inter *ambitionem* et *ambitum* est, difficile dictu est: forte ex illa vocis significatione qua *ambitus* est *aedium circuitus*, huic aliquid inhaesit, quo indicaretur, non recta via, non ingenua, sed quibuscumque circumactionibus, tramitibus, atque hinc fallaciis, machinationibus, ad finem propositum pergere (1).

Quidquid sit, initio iam Reip. R. illum ambitum paulatim videmus exoriri, atque adcrescere, CORIOLANI tamen tempore nondum erat cognitus (2); huius tempore constabat adhuc in ostendendis vulneribus, notis virtutis: dein, in augendo petitionis splendore, et pompa, et incitando hominum ardore et voluntate (3); ut, creta togae

(1) Francorum *des alentours* tropico quoque sensu adhibetur.
(2) Plut. *in Coriol.* p. 220. Xyl. (3) Plut. ibid., *Quaest. Rom.* p. 276. Xyl.

addita, - ut, nundinis et conciliabulis obitis a novis maxime hominibus, qui patriciorum honorum participes fieri conabantur; et contra quos a. u. 397 lege Poetelia cautum est (1); - ut adhibitis nomenclatoribus et fartoribus, qui, quum in tanto populo et in tantis vitae occupationibus uniuscuiusque nomina tenere difficile esset, haec auribus candidatorum, clam velut infercirent: atque hinc monitores quoque appellati sunt (2); tandem mercede corrupti sunt quidam, qui obviam irent candidatis, aliique pretio emti sectatores, qui deductioni pompam adderent. Eosdem autem per amicos invitare, rogare, incitare, vitio non ducebatur (3).

Sed temporis lapsu, moribus magis etiam corruptis, plebe spectaculis et donis assuescente, non sine pecuniae, aliorumque beneficiorum liberalitate, popularem voluntatem sibi devincire candidati aggressi sunt. Praesertim post bella Punica, et primum acquisitas provincias, adeoque Saeculi VII[i] initio, surrexisse videtur illa ambitus largitio, quae SYLLAE iam tempore sine ulla verecundia exercebatur (4). Denique, ultimis Reip. temporibus, non sine vi, et armatis saepe hominibus, illa suffragia cogebantur. De singulis iam accuratius videamus.

Largitio, ut diximus, duplex erat: utraque species pro parte aliqua iam in honestam quoque ambitionem irrepserat: nam ipse Q. fratrem incitat ad eam benignitatem rei familiaris, et conviviorum, »quae" inquit »fac et abs te et ab amicis tuis concelebrentur et passim et tributim."

(1) Liv. VII. 15. (2) Cic. *p. Mur.* 36. 77, Plin. *Panegyr.* 23, Paul. Diac. excerpt. ex Fest. Ed. l. T. II. p. 66. (3) *Pr. Mur.* 32. 67. (4) Plut. *in Sylla* p. 457. Xyl.

Quod nescio an tum iam umquam fuerit prohibitum, et dein neglectum; an vero novum ambitus inventum, quod dein, populi gratia, ab honestioribus quoque adhibebatur; saltem, duce CATONE, SCto constitutum est, ut prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videretur (1); uti quoque, si gladiatoribus, aliisque sordidis hominibus locus in spectaculo distinctus daretur (2); si vero tribulibus, ab amicis darentur, honori ducebatur (3). Gravior erat munerum (4) et spectaculorum praebitio: Aedilitas eo ipso se commendabat, quum ea multa et magnifica darentur; adeo ut quamvis trinos ludos fecerit CICERO Aedilis, tamen ANTONII ludis commoveretur; at petitionis tempore honestum non habebatur, iis plebem ad suas partes trahere; adeo ut, crescente eorum usu, Lege Tullia, CICERONE Cons. lata, vetitum fuerit: »biennio quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare" (5); et tamen populari voluntate, impudentia atque legum contemptu ductus VATINIUS ipsam neglexerat: imo ipse CICERO, MURAENAM defendens, cuncta illa excusat: »quare" ait »nec Plebi R. eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum, quae omnia maiores nostri comparaverunt; nec candidatis ista benignitas adimenda est, quae liberalitatem magis significat, quam largitionem" (6); et alio loco: »omnia haec sunt officia necessariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum" (7).

---

(1) *Pr. Mur.* 32. 67. (2) Ibid. (3) Ibid. 34. 71. Cf. Comm. in Paul. Diac. excerpt. T. II. p. 477. (4) De voce *munus* et *munium* cf. Varro *de ling. lat.* p. 143. Spanh., Paul. Diacon. T. II. p. 97, Isidor. VI. 5. 27, Creuzer, *Antiq. Rom.* p. 382. (5) *In Vatin.* 15. 37. (6) 36. 77. Add. 18. 37, 19. 38. (7) Ibid. 35. 73.

Maxime autem solita, eaque legibus acriter prohibita fuit largitio pecuniaria, plerumque sola *largitionis* nomine expressa (1); cum ipsa dona nummaria postea *congiaria* (2) dici coeperint, quae olim alimentis tantum constabant, militibus datis (3); sed hinc et de alimentis et de pecuniariis donis, beneficii gratia tributis, dici invaluerunt (4). Hanc igitur pecuniam *pronuntiare* dicebantur, quum promittebant eam ad corrumpendum (5); et ne ipsi suspicionem moverent, vel quia aliis erant negotiis occupati magis, apud *sequestres* deponebant (6); plerumque igitur hi inferioris generis homines amici erant candidati, quibus fidebant (7); interdum quoque honestiores; unde ipse PLANCIUS tum dicebatur ipse sequester fuisse, scil. competitoris sui PLOTII, tum vero per sequestres corrupisse (8). Idem de pecuniae ad iudicium corrumpendum custode vocabulum usurpatur (9). Nonnumquam iidem sequestres alio quoque munere fungebantur, scil. *interpretem agendi* (10); quod sordidius etiam erat; et eorum qui candidati nomine pronunciarent; qui se miscerent cum infima plebe, eos incitarent ad suffragia danda, cum iis paciscerentur; atque monerent, apud quosnam deposita esset pecunia, et quibusnam ad dispergendum ab iis traderetur (11). Ut autem hos nummos pari ratione inter

---

(1) Ibid. 3. 5, *p. Planc.* 2. 6, 15. 37, *de Pet.* § 57, Asc. *in Milonianam*, p. 32. Or. (2) *Ad Att.* X. 7. (3) *Ad fam.* VIII. 1. ibique Ern., Suet. *Oct.* 45. Liv. XXV. 2. (4) Suet. *Tib.* 20. (5) *Pr. Planc.* 18. 45, ibique interpp. (6) Pseudo-Asc. *in Verr.* I. 12. p. 136. Or., Schulze, *von den Volksversammlung. d. Röm.* p. 164. (7) Cf. *in Verr.* IV. 22. 49, *p. Coel.* 7. 16. (8) Cf. *p. Planc.* 16. 38, 18. 44, ibique Wund. *Comm.* p. 137, et 19. 48. (9) Cf. fr. or. *in Clod.*, ibique Schol. Bob. p. 338. Or. (10) *In Verr.* II. 44, »sequester istius, interpres, confector negotiorum.” (11) Cf. Schulze, l. l.

diversas tribus distribuerent, certis hominibus utebantur, qui unicuique tribui aderant, et *divisores* (1) dicebantur: populus enim saepius dona vel ab Imperatoribus ab expeditione redeuntibus, vel ab aliis accipiebat (2), quae ut recte et aequali parte dispergerentur, iis hominibus dividenda tradebantur (3). Hi autem homines sordidissimum reddiderunt illud munus, ambitum et largitionem propagando; nam convenientes cum sequestribus, pecuniam acceptam inter singulas (vel quasdam (4)) tribus ea conditione distribuebant, ut suffragia corruptori tribuerent (5). Igitur quum et olim in Senatu fuerit constitutum, CATONE et DOMITIO postulantibus, ut apud magistratus inquirere liceret, num domi haberent divisores, et ut, qui domi eos haberent, adversus Remp. agere viderentur (6), dein apparuit, non nisi singulari in ipsos divisores constituta poena, ullo modo largitionem exstinctam fore (7); sed altius iam malum serpserat, populusque ab iis hominibus incitatus, Consulem PISONEM de largitione legem ferentem

---

(1) De distinguendis his a *diribitoribus* in comitiis, quos male confundit Ern., et eum imitatus Schütz., agunt, ab una parte, explicatis vocibus *diribitor*, *diribere*, cet. Wunder. *Var. Lect. Cod. Erf.* p. 126, sqq., comm. *ad Planc.* p. 141; ab altera, eorum munus describendo Creuz. p. 119. Error autem inde ortus videtur, quod posteriori linguae Lat. tempore, non admodum haec voc. distincta fuerint: hinc Auson. in Grat. Act. ad Gratian.: »qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, iure vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi;" cet.: nisi quod etiam hîc Wunder. cogitat de fraude quadam in ipsis comitiis admissa. l. l. p. CXLVII. (2) Schultz. p. 168. (3) Cf. Pseudo-Asc. ad *Verr.* 1. 8. 22, Gruch. *de comit.* p. 577, sq., Camerar. et Graev. ad Cic. *p. Mur.* 26. 54. (4) Cf. *p. Planc.* 19. 48. »qui nummi, *quae tribus*, qui divisores." (5) *In Verr.* I. 8. 22, sqq., *p. Planc.* 23. 55. (6) *Ad Att.* I. 16. (7) Fr. or. *p. Cornel.* p. 74. Or.

per vim deiecit (1). In summo tamen honestorum omnium odio atque contemtu manserunt; quare pro acerbo convitio aliqua cum divisore necessitudo cuidam obiecta habebatur (2). Nec spernendam esse pecuniae quantitatem, quam in populum dividerent, hinc patet, quod v. c. MILO tributim in singulos millies assium dedisse narratur (3), et tria praedia in largitione impendisse eum ipse CICERO testatus est (4); exsulis autem bona propter aes alienum vendita fuerunt (5). Caesar vero ut Pontificatum adipisceretur, tam effuse largitus erat, ut mane ad comitia descendens, atque magnitudinem aeris alieni reputans, matri osculanti non nisi PONTIFICEM se domum reversurum esse praedixerit (6); deinde vero post Praeturam in provinciam proficisci festinaret, ut creditores retinentes effugeret (7).

Ut autem magis certi essent, ne etiam ita ipsos fallerent corrupti cives, primum tribulibus suis, tam invitatis, quam beneficiis adductis, praeponebant, decuriones quos dicam, qui imprimis iis, quibus praeerant, tribulibus invigilarent, ut eam, quam decebat, sententiam ederent; quae *decuriatio tribulium* in Planciana (8) dicitur: si idem in reliquis quoque tribubus, late extensa largitione, fiebat, *describere populum* vocabant (9). Id autem, ut facile intelligitur, non sine vi et coactione agebatur. Hinc saepius illa coniunguntur, ut in Sextiana (10): »cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem incitarentur.” Illi vero, qui certae alicui populi

---

(1) Ibid. p. 75. (2) *In Verr.* III. 69. 161, Suet. *Oct.* 3. (3) Asc. *in Milon.* p. 34. Or. (4) Cf. Asc. p. 32. (5) Dio Cass. 40. p. 163. Xyl. (6) Suet. *Caes.* 13. (7) Ibid. 18. (8) 18. 45, 19. 47. (9) Ibid. 18. 45, ibique Wunder., p. 137: non recte haec distinxit Schultze, p. 166. (10) 15. 34.

parti ita a candidato quasi praeponebantur, quosque modo decuriones vocavi, hi erant *sodales* (1), ea scil. vocabuli turpi significatione, quam ei tribuit M. (2). Hinc sodalicia dicta ii conventus, ea consensio (3), qua quis cuiuscunque tribus homines, non tam gratiosos, quam quidem terribiles sibi adiungeret, qui ceteros cogerent, ut propositam de pecunia pactionem acciperent, et suffragia venderent. Quum autem talis vis etiam praeter ambitum eadem ratione ordinaretur, et adhiberetur, sodaliciorum crimen ab ambitu distinctum est; hinc MILO ab ASCONIO et ambitus, et sodaliciorum, et de vi (ob CLODIUM caesum) postulatus fuisse narratur (4). Sed propter largitionem, et petitionem cum ea coniunctam, nec separatim ab ambitu de eo crimine in petitione admisso agebatur, nec in ambitus iudicio eius (utpote distincti a pecuniae largitione) ratio habebatur; adeo ut diu fere impunita fuerint talia sodalicia; donec tandem distinctim de iis lex Licinia lata sit a. 693. Coniunctim autem haec omnia in ambitu *operae campestres*, in vi, *conductae, concitatae* dictae fuerunt (5).

Ut autem competitor ceteros melius vinceret, solebat cum uno eorum, quem maxime valere sciebat, inire pactionem, qua tribus, quas quisque sibi quacunque ratione paraverat, inter se coniungerent ita, ut in qua unus erat gratiosus, alteri quoque suffragaretur; in qua alter, illius etiam nomen tabulae adderet. – Si vero hac ratione, suam tantum tribum, in qua censebatur, vel in qua multum valebat, precibus et gratia commoveret candidatus, ut etiam huic vel illi ex competitoribus suffragium suum tribules

---

(1) *Pr. Planc.* 19. 47. »*sodaliciorum tribuario crimine* i. e. crimine corruptarum per sodalicia tribuum.'' (2) 39. 46. (3) *Pr. Planc.* 15. 37. (4) Ad *Milon.* p. 40. (5) Suet. *Oct.* 3, Cic. *p. Sext.* 17 et 30.

darent, atque esset beneficium magis inter ipsos, quam conventio, minime hoc erat damnandum, et dicebatur talis tribu sua competitori cedere. Hac v. c. ratione in LATERENSIS gratiam et PLOTIUS et PLANCIUS unam quisque tribum rogaverat, ut illi insuper suffragarentur, dein autem metuentes, ne ipsos ita adiutus vinceret, ne facerent, iusserat (1): et in Toga Candida ANTONIO M. CICERO obiicit, illum suo demum beneficio ex ultimo loco candidatorum in tertium pervenisse: scil. complures tribus in quibus multum valebat, ipsi quoque, miseratus ipsius conditionem, conciliavit; et insuper nonnullos ex competitoribus ut in sua tribu idem, ANTONII causa, facerent, invitaverat: quibus demum centuriarum suffragiis adiutus ad tertium e candidatis locum pervenit; cum, si suis tantum suffragiis nisus fuisset, ultimus futurus fuisset (2). – Hîc autem de omni alia re agitur: conveniebant enim inter se competitores, ut in iis tribubus, in quibus aliquid valerent, vel gratia, beneficiis, largitione valere studerent, non sibi tantum operarentur, sed utrique. Hoc igitur a duobus per se multum iam valentibus facto, lucide patet, quantum reliquos superare debuerint: sed etiamsi singuli non plus quam alius quidam adversarius valerent, tamen hac coniunctione sive *coïtione*, ut dicitur (3), huic antecellebant ambo. Talis igitur coïtio, turpissimi erat ambitus; et omni ratione ceteris competitoribus erat metuenda (4). Hinc in Senatu contra ANTONII et CATILINAE coïtionem vehementissime egit CICERO; et PLANCIUM cum PLOTIO coïvisse, LATERENSIS, ex suf-

(1) *Pr. Planc.* 22. 54. (2) Cf. supra diss. p. 33, et ibi l. Gruchii l. – Sic Marius quoque Praetor ἔσχατος τῶν πάντων ἀναγορευθείς. Cf. Plut. *in v. Mar.* p. 408. Xyl. (3) *Ad Att.* I. 17, *p. Planc.* l. l., Liv. III. 35. (4) Asc. in arg. *or. in T. C.* p. 83.

fragiorum pari eodemque tribuum numero, non sine veri specie, probare conatur (1). - At ne in illo quidem substitit tale facinus: nam si inde ab initio petitionis inter se pepigerint, ut una, coniunctis viribus, largirentur, sodales incitarent quisque suos, ut utrique plebem conciliarent, pecuniam omnibus obtruderent, suffragia cogerent; - vel si, altero gratia, altero opibus pollente, huic ille civium animos conciliaret, illi hic pecuniam subministraret, ut cum LUCCEIO CAESAR (2) egit: vel, si armatas servorum copias, et concitatam multitudinem una ad concionem, ad campum, ad ovilia ducerent; tunc sane non competitoribus modo periculum, sed toti civitati pernicies imminebat.

Hae sodalitates, hae coïtiones in causis erant, cur ultimo Reip. tempore, non largitione magis, quam vi et armis magistratu petitores potirentur; atque conducta et concitata plebs non suffragii tantum ferendi, sed caede et sanguine implendi causa, campum adibat. Vide qua id ratione PLUTARCHUS describat (3): »*τῆς ἐν Ῥώμῃ κακοπολιτείας, δι' ἣν οἱ μὲν ἀρχὰς μετίοντες, ἐν μέσῳ θέμενοι τραπέζας, ἐδέκαζον ἀναισχύντως τὰ πλήθη, κατῄει δὲ ὁ δῆμος ἔμμισθος, οὐ ψήφοις ὑπὲρ τοῦ δεδωκότος, ἀλλὰ τόξοις καὶ ξίφεσι καὶ σφενδόναις ἁμιλλώμενος· αἵματι δὲ καὶ νεκροῖς πολλάκις αἰσχύναντες τὸ βῆμα διεκρίθησαν, ἐν ἀναρχίᾳ τὴν πόλιν, ὥςπερ ἀκυβέρνητον ὑπερφερομένην, ἀπολιπόντες*" (4).

Quid autem factum est, ut talis ambitus, talis vis tolleretur? Nimirum SCta et leges confecerunt novas, aliasve

---

(1) *Pr. Planc.* 22. 53, ibique Wund. p. 148. (2) Suet. *Caes.* 19. (3) *Caes.* p. 721. D. Xyl. (4) Cf. *p. Sext.* 37, Dio Cass. 39, p. 106, Suet. *Oct.* 3.

in hanc rem adaptaverunt. De quibusdam iam vidimus supra, ut de togis cretatis, et de novis hominibus arcendis (l. Poetelia); quibus adde MARII legem de nobilium in suffragiis inspiciendis auctoritate (1). L. BAEBIA CORNELIA, a°. 571. lata (2), prima fuit, qua de ambitu proprie cautum fuerit, quem omnem illa lex videtur fuisse persecuta: tandem quae, CICERONE candidato, unice valuit, Calpurnia, ipsa quoque severissime scripta, quae et pecunia multavit damnatos, et in perpetuum honoribus iussit carere (3). Hanc dein, referente CICERONE, interpretati sunt (4). Et iis ipsis temporibus quibus largitio ad culmen pervenit, SCto, CAESARE Cons. facto, plebs restitit (5); lex Tullia CICERONIS lata est, de qua vidimus; lex Fabia, quae non perlata est, de sectatorum numero (6); SCtum factum, rogante CATONE, de divisoribus; qui cum insuper rogaret, ut magistratus designati iureiurando affirmarent, se absque ambitu honore esse potitum, lapidibus a plebe exceptus est (7); lex Aufidia, PUPIO PISONE et VALERIO MESSALA Coss., ut solverent per totam vitam ingentem pecuniae summam convicti candidati, nummos tribubus promisisse (8). Denique crescente vi et armorum in petitione strepitu, SCtum a. 697. factum est: »ut sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur'' (9). Et paulo post POMPEIO II

---

(1) Plut. *in Mar.* p. 407. Xyl., quem locum Coraes sic legit: *Ἐν δὲ τῇ δημαρχίᾳ νόμον τινὰ περὶ ψηφοφορίας γράφοντος αὐτοῦ, δοκοῦντα τῶν δυνατῶν ἀφαιρεῖσθαι τὴν περὶ τὰς αἱρέσεις ἰσχύν, κ. τ. λ.* pro vulg. *περὶ τὰς κρίσεις.* Add. Cic. *de leg.* III. 17. (2) Liv. XL. 19. (3) *Pr. Mur.* 23. 46, Schol. Bob. p. 361, sq. (4) *Pr. Mur.* 32. 67. (5 Ibid. 34. 71. (6) Ibid. (7) Plut. *in v. Cat. min.* p. 780. (8 *Ad Att.* I. 16. 13, Dio Cass. 36. p. 20. (9) *Ad Quint.* IV. 3.

et M. LICINIO CRASSO II Coss., lex Licinia de sodalitiis, cuius frequens in Planciana mentio fit (1); quam secuta est Iulia AUGUSTI, etiam de vi in ambitu (2). Armatum autem praesidium, quamvis in urbe nefas, prope eam moribus contra libertatem videretur, a PISONE tamen, ut se contra divisorum vim defenderet (3), ab ANTONIO, ut populum contineret (4), ab OCTAVIANO tandem, ut Remp. occuparet (5), fuit adhibitum. Quo haec omnia ruerint, hîc dicere non attinet, et est notissimum: recteque PLUTARCHUS dictum alicuius laudat (6): *ὅτι πρῶτος κατέλυσε τὸν δῆμον ὁ πρῶτος ἑστιάσας καὶ δεκάσας.*

Leges, siquando ambitus postularentur quidam, in singulis reis eventum fere non habuerunt, iudicibus vel corruptis vel metu plebis non condemnantibus. Turpissima exstant profusissimae largitionis exempla (7), ex quibus unum hoc de SUETONIO promam, narrante (8): Caesarem Pontificatus maximi duos competitores, potentissimos, multumque et aetate et dignitate antecedentes, ita superasse, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus tulerit. Tandem nihil restabat optimatibus, qui hunc vel illum Consulem creari prohibere vellent, quam ut ipsi competitori cuidam pecuniam subministrarent; quod in BUBULO factum esse, idem tradit SUETONIUS (9), cui auctores fuerunt tantumdem ac LUCCEIUS et CAESAR una pollicendi; adeo ut plerique pecunias contulerint, et ne CATO quidem abnuerit eam largitionem e Rep. fieri.

---

(1) De qua cf. Wunder, *ad Planc.* p. LXXVII. praef. (2) Paul. *Sentent.* V. 30. Cf. l. un. D. *ad l. Jul. de ambitu.* (3) Asc. *in Cornel.* p. 75. (4) Cic. *Philipp.* I. 10. 25, 15. 36. (5) App. *Bell. civ.* IV. 7. (6) Plut. *Coriol.* p. 220. (7) App. *Bell. civ.* II. 19. (8) *Caes.* 13. (9) Ibid. 19.

Ceteri autem, qui a pecuniae largitione abhorrebant, vel non petebant, ut ATTICUS, quem NEPOS refert (1) ab honoribus abstinuisse, quod neque peti more maiorum, neque capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus; vel si peterent, repulsam ferebant, ut SERVIUS SULPICIUS (2); vel tandem populo blandiendo et promittendo, summaque laudum gratia, eo perveniebant, ut spe et admiratione ductarum quarumdam, plurium interdum centuriarum, suffragia ferrent: nam nulla Q. CICERO testatur tam inquinata largitione fuisse comitia, in quibus non gratis aliquae centuriae renuntient suos magnopere necessarios (3). Hoc autem in primis pendebat a ratione, qua se competitoribus largientibus opponerent. Hanc in rem praecepta quaedam tradit Q., quae eo magis animadvertenda sunt, quia fratri laudabilia atque probata visa sunt. Nimirum efficere debebat, ut in competitoribus suis exsisteret aut sceleris aut libidinis aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia (4); deinde »fac" inquit »ut te bene noris, id est, ut intelligas eum esse te, qui iudicii ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis. Fac, se ut abs te custodiri atque observari sciant, quum diligentiam tuam, tum auctoritatem vimque dicendi, tum profecto equestris ordinis erga te studium pertimescant;" et paulo post: »quare... si competitoribus iudicia proponimus, sequestribus metum iniicimus, divisores ratione aliqua coërcemus, perfici potest, ut largitio aut nulla fiat, aut nihil valeat" (5). Unum tamen illud summopere erat vitantandum, ut videretur candidatus iam accusationem me-

---

(1) *In v. Att.* 6. 1. (2) *Pr. Mur.* 21. 43. (3) *De Pet.* § 56. (4) Ibid. § 53. (5) Ibid. § 56, 57.

ditari (1); nam ipse M. dein quoque professus est (2): »nescio quo pacto semper hoc fit, neque in uno aut altero animadversum est, sed iam in pluribus, simul atque candidatus accusationem meditari visus est, ut honorem desperasse videatur." Semper igitur magis honori quam accusationi studere debebat; et terrore illo, non nisi ut facilius quod ageret consequeretur, erat utendum (3).

---

(1) Ibid. § 56. (2) *Pr. Mur.* 21. 43. (3) *De Pet.* ibid.

PARTIS PRIORIS FINIS.

...ESES LITERARIAE.

I.

...clis *Aiace* 934, sqq. Ed. Both. ita legen-

...λαμὼν, σὸς πατὴρ ἐμός τ' ἴσως
...υπρόσωπος ἵλεως θ' ἅμα,
...υ σοῦ. πῶς γὰρ οὔχ; κ. τ. λ.

II.

... et plerique interpretes iis versibus ironiam

III.

...νος. III. 6. pro Ἀναξιμάνδρῳ legendum esse
...t intelligatur Antimachus Colophonius,
..., Stesimbroti auditor, cuius mentio fit
...*dversus Gentes* § 43.

IV.

...r. *Νικόστρατος κωμικὸς* refert, ad duos di-
...rum unus poëta comicus, alter histrio fuit:
...aeno, *Stratag.* VI. 10; hic in Xenoph.

ditari (1); nam ipse M. dein quoqu
»nescio quo pacto semper hoc fit, neq
animadversum est, sed iam in pluribu
didatus accusationem meditari visus e
sperasse videatur." Semper igitur n
accusationi studere debebat; et terro
facilius quod ageret consequeretur, er

---

(1) Ibid. § 56. (2) *Pr. Mur.* 21. 43

PARTIS PRIORIS FIN.

THESES LITERARIAE.

I.

Versus in Sophoclis *Aiace* 934, sqq. Ed. Both. ita legendos esse credo:

ἦ πού με Τελαμὼν, σὸς πατὴρ ἐμός τ' ἴσως
δέξαιτ' ἂν εὐπρόσωπος ἵλεως θ' ἅμα,
χωροῦντ' ἄνευ σοῦ. πῶς γὰρ οὔχ; κ. τ. λ.

II.

Perperam Scholiasta et plerique interpretes iis versibus ironiam subesse notaverunt.

III.

In Xenoph. *Sympos.* III. 6. pro Ἀναξιμάνδρῳ legendum esse coniicio Ἀντιμάχῳ ut intelligatur Antimachus Colophonius, Grammaticus et Poëta, Stesimbroti auditor, cuius mentio fit apud Tatianum, *adversus Gentes* § 43.

IV.

Quae Suidas sub v. Νικόστρατος κωμικὸς refert, ad duos diversos pertinent, quorum unus poëta comicus, alter histrio fuit: ille memoratur a Polyaeno, *Stratag.* VI. 10; hic in Xenoph. *Sympos.* VI. 3.

THESES.

V.

In **Xen.** *Mem.* I. 2. 48. ubi discipuli Socratis nonnulli memorantur, Phaedonis nomen excidisse suspicor; ut iam legendum sit: *καὶ Κέβης καὶ Φαίδων, καὶ Φαιδώνδης, κ. τ. λ.*

VI.

Praeter necessitatem Heinsius, apud Maxim. Tyr. *Diss.* III. p. 40. Ed. Reisk. pro *αἰσχρὸς γάρ ἦν* restituendum censet *σμικρὸς γάρ ἦν.*

VII.

Meletus, Socratis accusator, videtur filius fuisse Meleti, poëtae.

VIII.

Oratio *περὶ τραύματος ἐκ προνοίας*, quae inter Lysianas exstat, partim ex Lysiae hac de re oratione est contracta, partim pannis adsutis composita. – Sic, init. C. 2. compilatum est ex C. 8. *ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ ἀπολογίας.*

IX.

In Orat. Lys. *ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ* C. 4. ex verbis *καὶ τούτου μὲν οὐ θαυμάζω*, eiiciendum est *οὐ.*

X.

Ennius est pater literarum Romanarum.

XI.

Non faciendum esse credo cum Bentleio, in Hor. *ad Pis.* vs. 120. pro *honoratum* legentis *Homereüm.*

XII.

Virgilii versus *Aen.* VII. 203, sqq.:

Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos,
Saturni gentem haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem:

ita emendanda esse opinor:

Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos,
Gentem sponte sua, haud vinclo nec legibus aequam.

XIII.

Perperam Cortius ad Sall. *bell. Iug.* C. 41. sollicitat lectionem: *quasi permixtio terrae.*

XIV.

Idem, in C. 84. ibid. verba *secum proficisci* expungens, loci sententiam intellexisse non videtur.

XV.

In Liv. L. I. C. 32. retinendum est: *de sententia certatum est.* Gronov. *de* eiecit. – ibidem legendum puto: *mitius tamen decreverunt Patres in causa Marcelli.*

XVI.

Verba apud Gellium, XVI. 10. »Ego vero, inquit ille, dicere atque interpretari hoc deberem, si ius Faunorum, et Aboriginum didicissem'' explicanda sunt ex Cic. *orat.* 57. 175: »Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere:

Versibu' quos olim Fauni vatesque canebant.''

XVII.

Alcibiadi, quo minus Periclem in Rep. gubernanda longe superaret, gravitas et constantia defuerunt; obfuit nimia de eo populi opinio.

XVIII.

Ipsi Phoenices magna ex parte in causa sunt, cur ipsorum historia tam parum nota sit.

XIX.

Usque ad a. 500 u. c. Patricii simul plebeiorum patroni, simul natalium splendore ad Pontificatum adscendentes, duplici vinculo plebeios sibi tenuerunt adstrictos.

XX.

Tripartita Sexti Aelii opus fuit historico-antiquarium.

XXI.

Recte **Euphrates** Philosophus, apud **Plin.** *Ep.* I. 10: »affirmat etiam esse hanc philosophiae et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam; quae ipsi docent in usu habere.''

XXII.

Philosophorum dissensiones excolendae Philosophiae plurimum profuerunt.

